


BIBLIOTEKA

Zakł. Nar. im. Ossolińskich

XVI 3436







(XXIII)

Omnis, qui transgreditur, & non manet in doctrina Christi, hic  
non habet Deum. Ioan. Canon. 2.

# FRANCISCI STANCARI MANTVANI LIBRI DVO,

QVORVM PRIMVS EST.

Apologia aduersus eos, qui eum & morositatis & iracundie  
accusant, quiq; eum, quod concordiam in religione  
cum Hæreticis renuat, nec cum illis Ecclesiam ædificet,  
damnant.

ALTER.

De vera & recta inter Stanislaum Sarnicium Polonum  
cum sequacibus, & Franciscum Stancarum Mantuanum  
ineundę concordie in Fide ratione.

Ad omnes, qui pię & syncerę Deum colunt, in quor-  
uis loco vel gente.

*Et eritis odio habiti omnibus hominibus propter nomen  
meum, ait Dominus. Matth. X.*

ANNO DOMINI 1568.

16.323

Habes, Candide Lector, in his duobus libris succinctè  
& apertè, quid Franciscus Stancarus de Sanctissima Tri-  
nitate, ac Mediatore Domino nostro Iesu Christo sem-  
per senserit, sentiâtue nunc, aduersus detractores & calu-  
mniatores, qui etiâ Epistolam quandam confictam no-  
mine eius ædiderunt.

Habes quid & eius præcipuus aduersarius Stanislaus  
Sarnicius cum sequacibus de prædictis duobus articulis  
olim senserit, sentiâtue nunc, idq; ex libris eius, ac eius oris  
Cõfessione ædita publicè Cracouię in Synodo anno præ-  
terito 1567, secunda Octobris,



xv. lu. 3436

FRANCISCI STANCARI  
MANTVANI IN HOS DVOS LI-  
BROS PRAEFATIO.



TSI ex horum duorum, qui adduntur, librorum epigraphis manifeste patet, cur hi libri a me adduntur in lucem, tamen sunt & alie cause & grauior res, que me id facere cogunt. Has itaque Ecclesie Dei me patefacere oportet.

Prima causa est, sanctissima ac aduersus transgressores seuerissima lex omnipotentis Dei precipientis: Anima cum peccauerit, & audierit vocem maledictionis, periurii, & blasphemie (hæc omnia vox Ebraica אַלֵּךְ & alach significat) & ipse (s. homo, enallage generis est) fuerit testis, aut audierit, aut cognouerit, si non patefecerit atque manifestauerit, portabit poenam iniquitatis sue Leuit. 5. cap. Pœna autem iniquitatis erat mors. Leuit. 24. Hanc legem et Sacri Imperatores aduersus blasphemos & maledicos, ne quis Ceremonialem, sed morale eam legem esse putaret, sanxerunt & ipsi, vt in Nouellis Constit. Constit. 77. habetur.

Leuit. 5. 24.  
Nouell: Const  
lit. 77.

Hanc legem diuinam Ezechias Rex Iudach diligenter obseruauit. Is enim, cum literas blasphemias aduersus Deum Israel a Sencharib rege Assyriorum per eius legatum Rabsacen accepisset & legisset, tunc in templum Domini ascendit, & coram illo illas literas expandit atque manifestauit, & orauit, vt Deus ipse (nullus enim Magistratus his superior erat, præter Deum ipsum) blasphemias illas & audiret & videret, ac de illis poenas sumeret, quod & factum est: 4. Reg. 19. In vna enim nocte centum octuaginta quinque milia virorum in exercitu Sencharib percussa fuerunt, & ipse, cum aufugisset in Nineuen, & in templo Dei sui Nisroch oraret, a duobus filiis suis occisus fuit. Sic enim Deus blasphemias Nominis sui vltus est. Utinam Magistratus omnes, Reges & Principes hanc diuinissimam legem aduersus maledicos & blasphemos Nominis Dei, & aduersus Hæreticos omnes impenitentibus (poenitentibus enim venia danda est) obseruarent, quem

4. Reg. 19.

*Deut. 13. 17.* admodum tam Deus ipse, *Deut. 13. 17.* quam Sacri Imperatores  
*Cod. Lib. 1.* statuerunt, *Codic. lib. 1. Tit. 5.* de Hæreticis, lege, Manichæos,  
*Tit. 5.* & lege, Arriani.

Cum itaq; & ego tales blasphemias ( non loquor hic de mani-  
festis hæresibus ac blasphemis, quæ omnibus notæ sunt, vt in Por-  
tonia præsertim multæ sunt ) aduersus Sanctissimam Trinitatem,  
& præsertim contra Christum Dominum filium Dei ( vt enim  
æqualis gloria trium, ita & contumelia atq; blasphemia ) & au-  
diuerim, legerim, ac eas optime nouerim, quæ in libris multorum  
recētorum æditæ sunt, quæq; pro sacris religionis nostræ dogma-  
tibus etiam habentur a doctis, ne dum a vulgo ipso, eas me Ec-  
clesiæ Dei atq; Magistratibus, quorum interest peccata punire,  
patefacere oportet, vt illi gloriam Dei tueantur, & blasphemias  
ac blasphemos impœnitentes puniant, ac e medio sui eiciant. Et  
si ego tacerem, & temporalem mortem euaderem, æternam tamē  
non euaderem. Nonne et Christus Dominus præcipit, vt si quis  
piam in aliquem nostrum ( quanto magis si in plures & Deum  
ipsum ) peccauerit, arguamus eum primum, deinde, si non audi-  
erit, assumamus nobiscum vnum aut duos testes, quos si non au-  
dierit, vt dicamus Ecclesiæ. *Matth. 18. 17.* Maxime omnium,

*Matth. 18.*

Dic mihi Sarnici, nonne te primum per duos discipulos meos  
ministros hac de re monui, Deinde per Christophorum Leopoldi-  
titanum, deinde per Ioannem Gallum, deinde per generum me-  
um & alios quoq; , vt blasphemiarum tuarum in Deum & Chris-  
stum eius pœnitentiam ageres, alioquin tuas turpitudines iuxta  
mandatum Dei & Christi Ecclesiæ eius patefacerem? Hoc certe  
negare non potes. Et cum 2. Octobris Anni præteriti 1567.  
Cracouię congregati essemus in Synodo, volens de fide tua cer-  
tior fieri, ( tractabatur enim inter nos concordia de fide, vt nos-  
sti ) num adhuc tu tales, quales olim tenebas, blasphemias crede-  
res, te quater interrogavi, vt tandem scirem quid crederes, si te  
cum concordiam in fide inire vellem, te inquam interrogavi, nū  
mecum Catholicam fidem de Trinitate & Mediatore crederes,  
et cum respondere noluisses te ita credere, tandem scripta tua ap-  
pellasti, & ore tuo dixisti: Stancare tu fidem nostram in nostris  
( nota Lector, nostris ) Confessionibus legere potuisti. Qua cō-

*Leuit. 5. 24.*

*Matth. 18.*

feisione



fessione oris tui aperte declarasti, te adhuc in tuis perseverare blasphemis, atq; illas credere, Fidem autem Catholicam per me confessam, labyrinthum appellastis. Incorrigibilis ergo atq; impoenitens es. Iure ergo Ecclesie deferendus es.

Et quemadmodum Sarnicium, ita & Melancthonem, Caluiniuinum, & Bullingerum, & alios admonui Hæreticos, vt eorum literę responsuę ad me, quę & apud me sunt, testantur.

Quare, vt in veteri Testamento testes, qui blasphemias audiebant, impositione manuum declarabant se blasphemias auditas in blasphemos, & causas mortis in eos reiicere, se autem extra omnem culpam esse: ita et ego testificor hac mea ex mandato Dei & Christi obedientia, me reiicere blasphemias & hæreses, quas audiui, vidi, atq; cognoui in blasphemos & Hæreticos impoenitentes, & causas mortis in eos reiicere, & me extra omnem culpam esse. Mandato enim Dei & Christi satisfeci, & conscientiam meam exoneravi, atq; expurgaui.

Secunda causa est, maiorum nostrorum lex, quę sic præcipit: Decr.  
Qui alios, cum potest, ab errore non reuocat, seipsum errare demonstrat. De Hæresibus, Titulo 7. cap. 2. in Decret.

Tertiam legis apud Iacobum Apostolum dicentem: Iacobi ultimo  
Fratres, si quis inter vos errauerit a veritate, & conuerterit quis eum, sciat quod qui conuertit fecerit peccatorem ab errore vię suę, saluam faciet animam a morte, & operiet multitudinem peccatorum.

Quarta est, vt aduersariorum meorum calumniam depellam dicentium, me 2. Octobris præteriti Anni in fidem Sarnicii consensisse atq; illi subscripsisse, quod purum mendacium est. Quare sciat vniuersa Ecclesia Dei, me in fidem Hæreticorum nunquam consensisse, nec consentire posse, nec velle. Odiui enim Ecclesiam malignantiũ & Hæreticorum, & cũ impiis ac Hæreticis impoenitentibus non sedebo, neq; communicabo.

Quinta admonitoria est ad quosdam, qui a Sarnicio hypocrita, & eius sectę summis ( si Deo placet ) Theologis seducti sunt. Hi enim dicunt, cum Sarnicius rectum de Fide fundamentum habeat, etiam in causa Mediatoris a Stancaro ( hi Fidem meã Catholicam approbant ) dissideat, nihil refert. Fatetur enim Patrẽ, & Filium, & Spiritum S. esse vnum Deum. Quibus ego respon-

deo, hos magnos Theologos adhuc nescire, quid sit Christianę religionis nostrę fundamentum. Quod sic probo.

Christus fun-  
damentum  
Ecclesię.

Cum Sarnicius et sequaces hæreticā de Christo fidē habeat (scilicet n. illū secundū diuinitatem creaturam et Mediatorē, vt in 2. lib. apparet) et fundamentū fidei nostrę est Christus, vt Christus ipse ait, sup hanc petrā (petra n. erat Christus. i. Cor. x.) ædificabo Ecclesiā meā, Matth. 16. Et Apost. 1. Cor. 3. Fundamentū aliud nemo pōt ponere præter id, quod positū est, quod est Christus Iesus. Sic et Ephes 2. Sequit Sarniciū falsum et hæreticū de fide nostra Christianę religionis fundamentū. Quod autē dicunt Sarnicium cū suis fateri Patrē et Filiū & Spiritū S. esse vnum Deū, hi paradoxismū Sarnicianorū non intelligūt. Fatētur n. illi Patrē & Filiū & Spiritū S. esse vnū Deum specificum aut genericū, vt in hoc 2. lib. patet, non autē esse vnū Deū numero, aut natura, vel secundū naturā. Nam hac ratione Christus secundū naturā diuinam non posset esse Mediator, & ita illorū doctrīna p̄ contradictionē subuerteret. Eant itaq; illi Theologastri, qui ignorant adhuc quid sit nostrę Christianę religionis fundamentū. Quare sciant illi, q̄ Sarnicio in fide adherēt, se esse extra Ecclesiā Dei, & idololatrias esse, nisi sectariū reliquerint, vt in secundo libro videbitur.

Hę sunt causę, quibus hos libros in lucē ædere sum coactus.

Quare omnes vbicunq; locorū sunt, & cuiuscunq; ordinis, gradus, & dignitatis sunt, & eos præsertim q̄ in Polonia sunt, qui in causa fidei a partibus Sarnici, Melācthonis, Caluini, & Bullingeri & aliorū quoq; Hæreticorū stant, humiliē & in Dño moneo, vt oculos mentis suę adaperiant, & cito adaperiāt, quō damnationē suam cognoscant, vt illā fugiant, & Catholicam fidem, si animas suas saluas esse velint, super se seruandam suscipiant. Nam omnis qui transgreditur, & non manet in doctrīna Christi, hic Deum non habet. 2. Canonica Ioannis.

Hortor præterea in Dño omnes Magistratus, & Regulos omnes (iuxta scripturam loquor) q̄ in Polonia sunt, vt populos sibi commissos a spirituali scortatione, quę sunt hæreses & idololatria, liberent, alioqui si fuerint negligentes, sciant se Deo condignas pœnas duros, si non in hoc sæculo, vt illi duodecim Principes

Numer. 24:

duodecim tribuum Israel dederunt, Numer. 24. saltem in futuro, eas dabunt.

FRANCISCI STAN-  
CARI MANTVANI APOLO-  
GIA ADVERSVS EOS, QUI EVM ET  
MOROSITATIS ET IRACVNDIAE ACCV-  
SANT, quicq; eum damnant, quod concordiam in religione cum Hæ-  
reticis non quærat, nec cum illis Ecclesiam ædificet.

*Ad omnes, qui piè Deum colunt, in quouis loco uel gente.*



VI IN PROPHETICIS, E-  
uangelicis, & Apostolicis literis, nec non  
S. Patrum placitis minus exercitati sunt,  
cùm alicuius docti viri libros aduersus de-  
ploratos & pertinaces Hæreticos scriptos  
legunt, cum & morositatis & iracundiæ accusare solent,  
non considerantes illi vim Spiritus S. loquentis & ope-  
rantis in eo. Aliter enim cum simplicibus & probis, aliter  
cum obstinatis & deploratis Hæreticis, maliciosis & in  
Spiritum sanctum peccantibus, nec non Ecclesiam Dei  
turbantibus agendum est.

Si itaq; eos, in quos inuehor & quos redarguo, demõ-  
strauero esse tales, qui à me, & à quolibet pio viro seuerè  
taxari atq; reprehendi merentur, profecto ab omni pio  
prudentiq; viro non morositatis & iracundiæ accusabor,  
verùm etiam & pietatis in Deum, & dilectionis in Eccle-  
siam Dei, ne illa ab Hæreticis, & animarum homicidis se-  
ducatur, commendabor. Quare pium & prudentem le-  
ctorem in Domino rogo atq; oro, vt aures benignas huic

meq;

*Stancarus in-  
nocentiam su-  
am contra ca-  
lumniatores  
defendit.  
I. saie 58.  
Act. 14.  
Marc. 3.  
2. Tim. 4.*

*Cãdor ex prõ-  
dentia in iudi-  
cando proximo  
requiritur.  
Leuit. 5. 24.  
Deut. 13 17.*

mę Apologię & defensioni, omni affectu seposito, diligenter accommodet.

STANCARUS  
quærit Polonos  
ab hæresibus  
reuocare  
Leuit. 5. 24.  
Deut. 13. 17.  
Iacob. 5.

Cum omnes ministri Poloni & prædicatores verbi Dei, literis Ioannis Caluini, Henrici Bulingeri, & Philippi Melancthonis, quos in causa Mediatoris Domini nostri Iesu Christi consuluerunt, seducti fuissent, & in varias hæreses incidissent, vt infra patebit, ego Franciscus Stancarus à multis etiam rogatus illicò omnem lapidem mouere cœpi, vt eos ab hæresibus reuocarem. Vnde Magnus Dominus Stanislaus Stadnicus meo suafu ad multos Nobiles scripsit epistolas, rogās & obsecrans, vt absq; mora colloquium inter ministros & me de religione fieret, certam inter nos futuram concordiam pollicens. Scripsi & ego ad quosdam, qui tum temporis tam apud Nobiles, quàm apud prædicatores & ministros seductos auctoritate pollebant. Scripsi & ad Illustrem & M. D. Dominum N. Tarnouiensem, & Castellatum Cracouiensem (litteras illi obtulit præfatus D. Stadnicus) qui apud præcipuos ministros hoc efficere poterat, sed nihil effecimus.

X  
Stobnicia colloquium de religione habetur.

Scripsi præterea ad Illustrem & M. D. Dominum Martinum Zborouium, tunc Palatinum Posnaniensem, virum zelo Dei præditum, & eius Ecclesię restaurandę cupidum. Scripsit & prædictus D. Stadnicus, & coram cum egegit, vt voti compotes efficeremur. Is pro sua in Deum pietate ita effecit, vt inter hos ministros & me coram M. sua & quibusdam M. D. Castellatis & Capitaneis atq; alijs Nobilibus colloquium fieret Stobnicie. Ibi coram omnibus fidem, quam ego cum Ecclesia Catholica profiteor

riteor atq; defendo, tam ex scripturis sanctis, quàm ex S. Polonos in Po-  
Patribus, & sacris Concilijs veram atq; catholicam, illo- lonia mini-  
rum verò falsam & hæreticam etiam ex sua ædita confessi- stros, nō Stan-  
one probavi. Nuncijs verò tres à Pinczouianorum Syno- carum, turba-  
do missi fuerunt. R. Dñi, Stanislaus Lutomitius, Iacob- tores religio-  
bus Syluius, & Laurentius Discordia. Ibi etiam ante nis demonstra-  
loquium Generosus & Polonorum (venia aliorum sit dic- tur.  
ctum) excellentissimus orator, Dominus Hieronymus  
Osolinus, non Stancarum, sed quosdam Polonorum mi-  
nistros omnium discordiarum de fide in Polonia autores  
fuisse demonstravit. Annon illi turbatores sunt religionis,  
qui religionem nouam, & hæreses in Ecclesiam inuehunt?  
Maximè. Illi hoc, non ego, fecerunt, turbatores ergo re-  
ligionis sunt ipsi, non ego.

Sed ante hoc colloquium M. D. Stanislaus Stadnicus  
us, me impellente, in Niedzuiedz inter Reuerendum D. in Niedzka  
Stanislaum Sarnicium, qui tunc temporis eo in loco mi- wiedz inter  
nistrum agebat, & me de concordia facienda tentauit. Et Sarnicium &  
quò commodius id faceret, eò Generosos, prudentes ac Stancarum de  
doctos viros D. D. Hieronymum Osolinum, & Stanisla- concordia fa-  
um Drohoiouiium secum duxit. Adfuerunt etiam aliquot cienda tenta-  
alij Nobiles & ministri. Ibi præsentibus (Mediatores n- tur.  
agebant inter Sarnicium & me) D. D. D. Stanislao Sta-  
dnicio, Hieronymo Osolino, & Stanislao Drohoiouiio,  
Sarnicius me Nestorianę hæreseos accusat, ego verò illū  
Arrianę, Eutychie, atq; Macarianę hæreseon accuso.  
Sarnicium ex sententia Beati Cyrilli contra me adducta  
calumnię ego conuincō, & ostendo Beatum Cyrillum me-  
cum & cum Ecclesia Catholica facere Christum Media-

*Stancarus cō-  
uincit Sarni-  
cium herese-  
on.*

torem & Pontificem secundum humanam naturam, & nō diuinam, vt ille contendebat. Nam hac ratione, nempe quod credam Christum secundum humanam naturam tantum esse Mediatorem, & non secundum diuinā, Sarnicius me Nestorianum appellabat. Calumnię ergo publicē conuictus fuit. Probauī præterea illum cum suis sectatoribus & Arrianum, & Eutyichianum, atq; Macarianum esse, cum faciant illi Christum Mediatorem secundum vtranq; naturam, diuinam & humanā, & opus personale constituent in Trinitate, idq; ex sexta synodo Constantinopolitana, Actione 4. 8. x. 16. 13. &c. Autoritas autem illa Beati Cyrilli, quam cōtra me allegauit, quamq; contra illum esse demonstraui, habetur in defensione Beati Cyrilli cōtra obiectionem Anathematismi, x. tomo 4.

Vbi verò Sarnicius se esse conuictum vidit, tunc à præfidentibus seu Mediatoribus, me absente, se audiri petiit: Concesserunt.

*In alio libro  
manifestatur.*

Ibi per duos ferè integros dies multa tam de Deo, quàm de Mediatore Christo blasphemia dictauit, quæ omnia, nisi Ecclesię Christi parcerem, quę satis superq; hæresibus plena est, in lucem ederem, vt quale monstrum in Polonia ortum fuerit mundus cognosceret. Attamen hic tres tantum blasphemias describam, vt ex his pius lector de reliquis facillē cogitare possit.

*Nota prima  
blasphemia,  
sui heresis.*

Primum itaq; interrogatus Sarnicius, An credat Deū vnum esse? respondit. Vnde vos didicistis Deum esse vnum? Cui cum respondissent illi, ex Symbolo Nicæno, et scripturis sanctis, & locum Deut. 6. allegassent, Audi Isra. 1, Dominus Deus noster, Deus vnus est, per deuia quęrens à

rens à proposito elabi, ( nota lector ) vix in hæc verba re-  
spondit : Credo in Deum patrem, & filium, & spiritum s.  
vnam essentiam, & vnam naturam, &c.

Ex hac Sarnicij responsione quilibet videre potest, cum *Sarnicius tres*  
tres Deos vnus nature specificè facere, vt sequentia aper- *Deos dictauit.*  
tè monstrabunt, quod hæreticum est. Nam quidam illis  
us secte, cum quibus priuatum colloquium habui ( no-  
luerunt testes adesse colloquio nostro ) tres Deos vnus  
essentia, vt Abraham, Isaac, & Iacob tres homines huma-  
ne nature sunt, credebant & confitebantur, sed palàm pro-  
fiteri nondum audebant, clam tamen hanc trium Deorū  
fidem illis, quos tunc ad hoc portentum spargendum se-  
doneos esse iudicabant, aperiebant. Huius rei testes duos  
viros fide dignos dare possem, nisi mei rationem haberē.  
Pugnantia verò atq; contradictoria, quæ dictabat Sarni-  
cius, scribere nunc omitto.

Deinde in quinto officio seu attributo ( sic numerat of- *Secunda bla-*  
ficia Mediatoris Sarnicius ) de Mediatore, post suas, se- *phemia &*  
cundum caput suum de Mediatoris officio, rationes di- *hæresis.*  
cit. Christus enim posuit animam suam à seipso, & mor-  
tuus est verè, & à seipso surrexit, hoc est, non *TOTA* & *Nota tres de-*  
*os Sarnicij, et*  
*eius blasphemias.*  
*INTEGRA DIVINITATE* à mortuis surrexit,  
sed tantum *EA DIVINITATE*, quæ in ipso filio  
est. Ex his igitur ( concludit Sarnicius ) scripturæ testi-  
monijs concludimus Christum *TOTAM PERSONAM* obtulisse oblationem *PATRI* secundum *V-*  
*TRANQVE NATVRAM*. Est n. Pontifex et *Plures diui-*  
*nas naturas*  
*facit Sarni-*  
*cius.*  
*Sacerdos* ( nota, nota blasphemiam Arrii ) *SOLA DI-*  
*VINA NATVRA*, sacrificiū verò humana, & pro-

pterea ratione officij & dispensationis & executionis est  
MINOR PATRE FILIVS etiam in DIVI  
NA NATVRA.

*Sarnicius  
Tridecimo.*

Ex his Sarnicij verbis clarissimè patet, quod initio in-  
terrogatus, An Deum vnum esse credat, respondit, vbi vos  
didicistis Deum vnum esse? Patet, inquam, Sarnicio plus  
res esse diuinas naturas, patris vnam, & filij alteram, quæ  
sacerdos est (dixit n. sacerdos est sola diuina natura) qui  
humanam naturam suam obtulit patri alteri diuine natu-  
re, deinde eandem filij naturam diuinam, quæ non est pa-  
tris, cum humana sua natura mortuã esse. Dixit n. Chris-  
tum totam personam obtulisse oblationem patri (nota)  
secundum vtranq; naturam. Deinde filium Dei in diuina  
natura minorem esse patre. Et per consequens tertiam di-  
uinam naturam (hæc omnia ex Melancthone hausit) Spi-  
ritus sancti, vt sint pater & filius & spiritus s. tres Dñi spe-  
cifici, aut generici. Sed hanc de tribus Dñs Sarnicij inæ-  
qualibus barbariem, Babyloniamq; & maledictionem do-  
ctis diligentius considerandum relinquo.

*Nota temeris-  
tatem, & bla-  
phemiam ter-  
tiam, & arro-  
gantiam Sar-  
nicij totū mun-  
dum damnan-  
tis.*

Tertiò scribit. Nunc ad doctrinam Stancarum (inquit)  
venio. Fateor quidem quòd nulla vnquam ætas de hac  
controuersia Mediatoris propriè locuta sit. Verùm omni-  
um ineptissimè Stancarus, neq; habet autores, quos se-  
quatur præter impuros Scholasticos. Hæc Sarnicius om-  
nium, omnium ætatum, hominum doctissimus, qui vni-  
cus & solus de Mediatore Christo Domino negocium in-  
tellexit. O caput eleboro dignum, sed igne magis purgã-  
dum. Huic Sarnicio respondet nunc Martinus Luterus  
in libro de nouissimis verbis Dauidis, in forma octaua,  
pagina

*Luterus con-  
demnat Sar-  
nicium.*



pagina 132. Vbi post longam de Trinitate & Diuinitate  
 disputationem sic scribit. Nam si quis plura requirit, ex-  
 tant libri in hoc argumento præclarè scripti ab Augusti-  
 no, Hilario, Cyrillo. Et hæc ipsa doctrina articuli de Di-  
 uinitate singulari Dei beneficio rectè & incorruptè in Ec-  
 clesia etiam à Scholasticis scriptoribus, qui sic vocantur,  
 tradita & propagata est, vt in eo non fuerit nobis ab ip-  
 sis dissentendum. Hæc ille & sanctissimè.

*Nota*  
 Papatus &  
 Scholastici do-  
 ctiores rectè de  
 Trinitate sen-  
 tiunt.

Postquam autem Præsidentes illi seu Mediatores Sar-  
 niciū audiuerunt, & me quoq; tertia die audierunt. Vn-  
 de tam ex scripturis sanctis, quàm ex S. Patribus, Sacro-  
 rumq; Conciliorū placitis de fide, manifestè probaui Sar-  
 nicij doctrinam de fide esse verè Arrianam, Eutychianam,  
 & Macarianam, meam verò, quam cum Catholica Eccle-  
 sia profiteor, fidem catholicam esse demonstraui.

*Stancari, fio-  
 des Catholica  
 Sarnicij uerò  
 hæretica.*

Hinc M. D. Stanislaus Stadnicus Sarniciū mo-  
 nuit, vt si in Parœcia sua manere vellet, primum fidem  
 illam hæreticam abiuraret, & ab illa subditos liberaret su-  
 os, & catholicam fidem susciperet. Quod cum facere no-  
 luisset Sarnicius, à præfato D. Stadnicio ab officio præ-  
 dicandi est depositus, & è parœcia expulsus. Quod vtinā  
 p̄j omnes Nobiles facerent. Tunc n. Polonię regnum hæc  
 ratione iram Dei effugeret.

*Expellitur  
 Sarnicius pro-  
 pter hæreses.*

Post aliquot menses, M. ac Illust. D. Martini Zboro-  
 uij tunc temporis Palatini Posnaniensis iussu ad primates  
 ministrorum, qui tunc erant Sarnicius & Gregorius Bre-  
 zinius, scripsi, vt in vnum conuenientes de concordia in  
 causa Trinitatis & Mediatoris tractaremus. Sarnicius  
 non respondit, respondit Brezinius, cuius literę apud me

*Iterum con-  
 cordia tenta  
 inr.*

B

3

sunt



sunt. Nihil tamen ea in re factum est.

*Iterum de cōcordia tractatur.*

Præterea ante mortem, & post mortem præfati M. D. Domini Martini Zborouij Castellani Cracouiensis tunc, quidam Magnifici ac Generosi Domini hic Stobnicie de concordia inter nos cum Sarnicio facienda tractarunt. Qui Sarnicius, etsi nobiscum in conclauis assentiri videretur, alibi tamen ad vomitum reuertebatur suum.

*Inter Sarnicum & Stancarum fit concordia Stobnicie.*

Demum, cum præfatus M. D. Castellanus Cracouiensis Zborouius sepulcro demandandus esset, inter Sarnicum & me Stancarum, præsentibus duobus Reuerendis D. D. Christophoro Leopolitano Dubieciensi pastore, & Benedicto Cracouiense Tuliglouiensis ecclesie pastore, in domo mea Stobnicie concordia in fide in hunc, qui sequitur modum, facta est.

*SARNICIUS agnitam ueritatem fidei confitetur.*

Confiteor, inquit Sarnicius, quòd Pater & filius & spiritus S. sit vnus Deus, qui vnā voluntatem naturalem, & vnā naturalem operationem habet, quodq; D. noster Iesus Christus verus Deus & verus homo sit noster Mediator secundum humanam naturam, & non secundum diuinam, &c. Et quoniam de vi ac efficacia Mediationis, vnde procederet, dubitabat, ego ex scripturis, & Concilio Constantinopolitano sexto, Actione 4. & demum ex Beato Athanasio textum (vt dicunt) in forma, vim & efficaciam illam ab ipsis tribus personis, vno Deo, prouenire ostendi. (antea n. ille à solo filio secundum diuinitatem esse contendebat.) Tunc Sarnicius ait. Assentior vobis, modo (nota quæso optime lector) hanc vim & efficaciam à patre & spiritu sancto non incarnatis, à filio autem incarnato procedere concedatis. Ad hæc verba risimus

*Efficacia Mediationis à tota Trinitate.*

omnes,

XXI

omnes, dicentes. Et quis nostrum vnquam hoc dixerit, vel cogitauerit patrem & spiritum s. incarnatos esse? Voluit u. aliquid dicere, ne prorsus videretur indoctus. Deo tandem misericordiam gratias egimus omnes.

Interea Sarnicius me præueniens Christophorum Lepopolitanum rogauit, vt hanc concordiam scriptis mandaret, quod & fecit. Sarnicium Christophorus & Benedictus paulopost conueniunt, & rogant, vt manu sua concordiam factam confirmet. Sarnicius & sui & concordiam factam oblitus cœpit tergiuersari, & quasdam voces, interius s. & exterius, & nescio quas alias nugas inuenit, vt quod fuerat extricatum iterum intricaret, & ita concordiam lacerauit. Vnde post multa inter nos, mediantibus duobus prædictis ministris & discipulis meis, agitata, tandem ad Arrianam & Eutichianam atq; Macarianam blasphemiam reuersus est Sarnicius dicens: Christum Dominum secundum vtranq; naturam diuinam s. & humanam mediatorem esse, & sic concordiam factam turpissimè fregit. Et quid est in spiritum s. peccare, si hoc non est? Sed ante concordiam factam duos prædictos discipulos meos ad Sarnicium meo nomine supplicatum misit, vt gloriam Dei & pacem ac vniõnem Ecclesiæ quæreret. Ille verò non Dei, sed suam quærit gloriam. Sed ad Iacobum Syluium venio.

Anno ab hinc quinto Zochouij cum essem, & Iacobus Syluius eò venisset, & ambo in arcem Reminium vocamur, in itinere de Mediatore tractare cœpimus. Homine itaq; scripturis sanctis, sanctisq; Patribus, ac sacris Concilijs aggredior, & obtestor, vt candidè & ingenuè ad tot

auto-

XXI.

*Agnitam & confessam ue-  
ram fidem ab-  
negat Sarni-  
cius.*

*Iacobus Sylui-  
us concordiam  
in fide fecit cū  
Stancaro.*

1  
autoritates & vniuersalis Ecclesię consensum dicat, quid  
sentiat. Ille paucis sic rem totam absoluit. Omnino nul-  
lus sanę mentis homo mediocriter doctus, credens patrem  
& filium & spiritum s. vnum esse Deum, aliter confiteri  
potest, quàm Christum Dominum secundum humanam  
naturam, & non diuinam, Mediatorem esse, Hoc M. Do-  
mino Reminio indicaui.

f  
*Syluius agni-  
tam ueritatē  
uituperat.*

Sed ecce post aliquot dies, præfatus Syluius ad præ-  
dictum M. D. Reminium Ioannem amor à Tarnovv li-  
teras scripsit, in quibus præter cætera monet, vt à Stancar-  
ri doctrina de Mediatore hæretica caueat. Nam, inquit,  
nullam prorsus habet Ecclesiam, quæ cum illo de fide te-  
neat, nisi fortè in Callocuthi. Hæ literę apud me sunt.

*Colloquiū de  
fide Zochouij  
habetur.*

Eodem ni fallor anno, Domino Deo ita procurante  
(nisi dedita opera, quod tamen me latet, id factum fue-  
rit, non tamen sine ordinatione diuina) accidit, quod cum  
M. Dominus Petrus à Zborovv tunc Castellanus Biecen-  
sis, &c. Iacobum Syluium tunc Prædicatorem ac mini-  
strum suum in Oppido suo Olesnicza, Generosus verò  
Dominus Hieronymus Osolinus Alexandrum Vitrelinū  
ministrum suum in pago suo Gozlicze secū in arcem Re-  
minium primum, deinde in oppidum Zochouium, vbi  
ego Stancarus eram, duxissent, Dominus Osolinus omnē  
operam impendit, vt Alexandrum Vitrelinum ministrum  
suum ab Arriana & Eutythiana liberaret perfidia, quem  
maxima animi lenitate biennio tolerauit, & ad Catholi-  
cam fidem reduceret. Aderant ibi Zochouij præter su-  
pradictos, M. D. Ioannes amor à Tarnovv Reminius, Ge-  
nerosus D. Stanislaus Drohoiouius, vir & pietate & do-  
ctrina

strina non vulgaris, aderat & quidam alius Nobilis, cuius nomen ignoro, aderāt & Reuerendus Dominus Michâel Zochouiensis pastor & alij duo ministri, & alij quidam ( omnes, ni fallor, fuerunt 18. vel 19. ) cum hæc, quæ hic narrantur, gesta sunt.

Cum itaq; omnes in vnum congregati essemus Zochouij, cum Alexandro Vitrelino Colloquium de fide, quod in arce Remin mane fuerat inceptum, continuare cœpimus. Et cum Alexander Vitrelinus & Sanctos Patres & Sacra Concilia ( hoc faciebat vt tempus tereret, & nos falleret, sicut antea mecū præsentē M. D. Stadnicio Stobnicij fecerat ) in medium adduceret, & in fauorem suum allegaret, illorum autoritates cœpimus ventillare atq; excutere. Et cū eas omnes vno consensu autoritates deprehendimus Vitrelini opinionē de fide Mediatoris reuicere atq; pro hæretica condemnare, ad vnam D. Ioannis Chrysoctomi sententiam, in qua ipse Vitrelinus confidebat tandem deuenimus. Qui cum illam diligenter excuteremus, & ea concluderetur & conuinceretur, interrogatus à Generoso Domino Osolinio, vt responderet ( volebat n. eum ex proprio ore conuincere ) respondit, Nescio. Sciebat ille quidem, sed Deo tamen gloriam dare noluit. Tunc D. Osolinus ait: Si tu nescis, quomodo me & populum meum docebis? Cum itaq; Vitrelini & maliciam & obstinationem videret, non illicò abiecit hominem, sed blandis verbis coram omnibus nobis sic est allocutus: Si, inquit, in mea iurisdicione manere velis, hoc à te peto, vt abiectis hæresibus, catholicam fidem recipias. Quod si minus, in termino octo dierum tibi præcipio, vt

ALEXander  
Vitrelinus cō  
nincitur here  
seon, & obsti  
natus à mini  
sterio deponit  
tur, & ables  
gatur.

à parœcia mea discedas. Is verò respondit, se aliter credere non posse, quàm antea credebat. Hæc ille.

At hic vnum verbum Vitrelino dico. Si tu Vitrelino in hac tua de fide opinione ita obfirmatus eras, cur S. Patres, cur sacra Concilia in medium afferebas, si illis intellectis conuictus acquiescere volebas? Omnino & tempus & nos fallere voluisti, sicut per aliquot horas fecisti. Hic multa, quæ acciderunt, omitto.

*Vide uide pie. Lector.*  
*Concordia solennis de fide fit inter Stancarum & Syluium.*  
Hoc cum audiuisset & vidisset Iacobus Syluius, qui ex altera parte mensæ sedebat, nemine eum vel hortante vel impellente, non rogatus, sed sua sponte impulsus surrexit, & mihi Francisco Stancaro, qui è regione eius sedebam, manum suam porrigendo dixit: En tibi (verba eius formalia fuerunt) Domine Stancare do manum in consortium & concordiam fidei, Quod Pater & filius & spiritus S. sit vnus Deus, qui habet vnâ voluntatem, & vnâ operationem naturalem: quodq; Dominus noster Iesus Christus verus Deus & verus homo sit noster Mediator secundum humanam naturam, non autem secundum diuinam, in qua cum patre & spiritu sancto est vnus Deus. Nam, si Christus, inquit, esset Mediator secundum diuinam naturam, non opus fuisset incarnari. Et hanc doctrinam, Magnifici ac Generosi Domini, à Domino Stancaro non didici, sed eam semper ita credidi, teuui, & docui, quod egregiè mentiebatur Syluius. Nam, vt supra visum est, & ad M. D. Reminium, & ad Martinum Dubiensem ministrum scripserat, vt à doctrina Stancari de Mediatore secundum humanam naturam & non diuinam, hæretica caueret. Quod mendacium vbi audiuissem, in

*Nota.*

meipso

incipso valde miratus fui, nihil tamen eo praesente, ne hominem confunderem, dicere volui, sed illo absente quibusdam Nobilibus, qui fuerant praesentes, Sylui mendacium patefeci. Hanc hypocrisim & hoc hominis ministri verbi Dei mendacium tibi, prudens lector, considerandum relinquo.

Omnes nos itaque ob concordiam inter Syluium & me in fide factam Deo gratias egimus, & in Domino laetati fuimus, de Alexandri vero Vitrelini in suis haeresibus obstinatione, atque eius depositione tristabamur. Tristabatur et valde Generosus D. Hieronymus Osolinus. Qui ubi aliquatisper apud se cogitasset, quomodo ministrum suum adhuc lucrifaceret, ipsum hac ratione aggressus est.

Alexander rogo te, ut meam de fide confessionem audias, quae si tibi fuerit probata, concordem in Domino erimus. Coepit itaque D. Osolinus Alexandro per partes fidem explicare suam. Quam, is cum audisset, (nobis omnibus praesentibus) & per omnia approbasset, D. Osolinus expansis vlnis cum lachrymis praegaudio in collum Alexandri irruit, & flens Deo gratias egit. Ego vero ubi hoc vidissem, Alexandro dixi: Et mihi da manum Alexander. At ille, non dabo. Ego vero, quare? Nonne cum fidem D. Osolinij approbaueris, & meam quoque approbasti? At ille, minimè. Nam ego fidem tuam non approbo. Tunc ego, Generose D. Osolini, quid agis? Apostatatisne à Catholica fide, an non? Ait ille, Absit. Ego vero, quam ergo fidei confessionem apud Alexandrum Vitrelinum deposuisti, quam & approbavit, meam vero minimè, cum uterque nostrum cum Catholica eandem fidem profiteretur

*Nota fraudem  
& maliciam  
Alexandri in  
defraudando  
D. Osolinium  
in fide.*

Ecclesia: Audiam & ego ( Polonicè cum Alexandro locutus fuit ) obsecro hanc tuam de fide confessionem. Ille verò dixit. Dicat Alexander. Apud Alexandrum D. Drohoiouius erat. Respondit Alexander, dicat D. Drohoiouius. At D. Drohoiouius dixit: Dic tu Alexander, qui eius confessionē attentius audiuiſti & approbaſti. Tunc Alexander fraudulenter D. Osoliniū fidem interpretans referebat. Vbi verò maliciam & fraudem Vitrelini verbi Dei ( ſi Deo placet ) miniſtri animaduertiſſet D. Osolinius ( hoc ſemel in arce Remien fecerat, nunc ſecundò fecit ) ira repletus ( & meritò ) Alexandrum verbis, vt me rebatur, caſtigauit. Et ita diſceſſerunt omnes. Ego verò ſeorſim Alexandrum vocaui, & eum multis diligētèr monui. At nihil profeci. Dicebat n. ſe aliter credere nō poſſe.

Postero die, cum Iacobus Syluius Zochouio diſcederet ( arrige aures, rogo, prudentiſſime lector ) & à Reuerendo D. Michæle Zochouiensi Plebano, & famulo meo Symone Sagano deduceretur ad currum ( audi lector ) Michaeli dixit, ( audi monſtrum horrendum ingens ) caue tibi à conuerſatione Stancari, & ab eius fide de Mediatore hæretica, cum ille pridie manum mihi in concordiam fidei præſentibus multis dediffet. Hoc cū audiuiſſem obſtupui, & ſumma admiratione affectus fui. Hi duo teſtes Michael nempè & Symon Saganus viui adhuc ſunt, & Zochouiū ſunt.

Et ne quis præterea putet hoc eſſe meum commentū & meram calumniam, apud me ſunt huius rei literę Syluiū in lingua Polonica ſcriptę ad quosdam, in quibus præter horrendas calumnias, quibus me afficit, ſcribit, ſe nunquam

Syluius agnitam ueram fidem & confessionem impugnat, & hæreticam appellat.



quam mecum in fide consensisse, nec consentire velle, cum coram tot M. ac Generosis, probis, honestisq; viris, ministris, Baccalaureis, & alijs palàm & solenniter stipulata manu confessus sit hanc, quam ego cum Ecclesia catholica profiteor, fidem veram esse, & eandem à Stancaro non didicisse, sed sic semper credidisse, tenuisse & docuisse vt supra visum est. Et illum non pudet impudentissimè spiritui sancto mentiri, ac supra scriptos viros, qui eius rei testes fuerunt presentes & spectatores, mendacij redarguere. O facinus audax atq; horrendum. O impudentissimum mendacem. O veritatis confessè proditorem & abnegatorem. Et quis eloquentissimus hominum hoc peccatum in spiritum sanctum huius Iacobi Syluij exaggerare satis posset? De vita verò & moribus huius hominis nihil dico in presentiarum, cum multa tamen & iustissimè dicere, & coram Magistratibus testes viuentes adducere possem. Et tamen sanctissimus hypocrita pro sanctissimo viro habetur à multis, adoratur à multis, colitur à multis. Sic n. mundus, iusto Dei iudicio, à talibus decipitur hypocritis, à quibus Dominus Iesus nos cauere monuit, dicens: Cauete vobis à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, sed à fructibus eorum agnoscetis eos.

Sed & Stanislaus Sarnicius incipiens à ciuitate Cracouia, quę minoris Polonię metropolis est ad Lituaniã vsq; sua Arriana & Eutyichiana, atq; Macariana perfidia multos decepit, & suas, quas antea tacitè retractauit, hareses, dum mecum de Mediatore concordiam fecerit, sparsit, propter quas à M. D. Stadnicio, vt supra visum est, depositus,

*Sarnicius Po  
lonorum sedu  
tor.*

positus, & à parœcia expulsus fuerat. Hi duo Sarnicius nempe & Syluius Christiane lector (superintendentes n. in sua secta sunt) agnitam atq; confessam veritatem abnegarunt, & conculcarunt, hinc est, quod cum in spiritum S. peccarunt, resipiscere non possunt. Talibus n. in spiritum S. peccantibus tam à Christo, quàm ab eius Apostolo pœnitentia negatur. Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.

Matth. 12.  
Ebr. 6. x.

Epilogus.

Ex his omnibus manifeste patet, prudentissime lector, quò ego Franciscus Stancarus & pacis & concordie, atq; vnitatis Ecclesie in Polonia restaurandę, quam illi sciderunt & lacerauerunt, fuerim studiosus, & quantam nauauerim operam, vt Ecclesiam Dei ab hæreticis & hæresibus liberare, ac illam in pura & Catholica fide ædificare studuerim, & laborauerim.

NOTA.

Et cum hi duo præcipuè hæretici Sarnicius nempe & Syluius volentes peccauerunt, & agnitam atq; confessam veritatem impugnauerunt & adhuc impugnant, quomodo quidam nescio à quo spiritu impulsus, & quo iudicio præditi aduersus me clamare audent, & scribere. Ad concordiam Stancare ad concordiam, ad ædificationem ad ædificationem? Quid? Ad concordiam? Ad ædificationem? Quam concordiam, & quam ædificationem habere & facere possum cum obstinatis, deploratis, & impœnitentibus hæreticis, & blasphemis ac in spiritum sanctum peccantibus, qui cõcordiam sanctam in Domino factam freguerunt, & omnem sanctam ædificationem per meam Reformationem in Polonia factam diruerunt, & hæreticorũ munitiones cum Caluino, Bulingero, & Melancthone triũ

Filij Dei, &  
filij Diaboli,  
Catholici &  
hæretici non  
possunt inter  
se esse concordes.

Deorum

Deorum fabricatoribus erexerunt & extruxerunt? Quid  
n. consortium iustitię cum iniustitia? Aut quę communio 2. Cor. 6  
luci cum tenebris? Aut quę concordia Christi cum Belial?  
Aut quę pars fidelis cum infideli? Non possum itaq;  
ego cum hæreticis, impœnitentibus, & in spiritum S. pec-  
cantibus habere concordiam & communionem, neq; cum  
illis ædificare possum, cùm illi cum Arrio, & Eutychete  
ædificant, ego verò cum Christo, & Apostolis, ac proph-  
tis Ecclesiam Dei ædifico. Illi ecclesiam Dei destruunt, &  
synagogam Arrij ædificant, Ego verò contra. Arrij ædi-  
ficia diruo, & Ecclesiam Dei erigo atq; ædifico, idq; tam  
verbo docendo, quàm libris meis, scribendo & ædendo.  
Contrarij ergo sumus, nec villo pacto inter nos concordēs  
esse possumus. Illi ( si possunt ) iterum in concordia me-  
cum & cum Catholica Ecclesia, à qua turpissimè defece-  
runt, quam & impudenter fregerunt, redeant, & vnà me-  
cum Ecclesiam Dei ædificent.

Desinant itaq; hi tales Mediatores à calumnijs, & hor-  
tari desinant me ad talem cum hæreticis concordiam fa-  
ciendam, sed illos potius hortentur hæreticos, vt abiectis  
& abiuratis hæresibus ( si possunt ) & facta pœnitentia  
publica, mecum iterum & cum fidelium ecclesia concor-  
diam faciant.

Qui itaq; clamant & ad me scribunt, ad concordiam ad  
concordiam, ad ædificationem ad ædificationem, non vi-  
dent, vbi fundamentum hæreticum & superstructio hæ-  
retica sunt, ibi nullum nec fundamentum sanctum, nec su-  
perstructionem catholicam esse posse? Necessè enim est,  
vt prius quę falsa & hæretica sunt destruantur, deinde quę  
vera

Nota.

vera & catholica sunt ædificentur, Non n̄ veritas cum mendacio vlla ex parte conuenire potest. Quò autem illi hæreticam fidem habeant, ego verò catholicam, & si superius succinctè vidimus, apertius tamen & fusius in altero libro videbitur.

Tenetur qui  
libet hæreses  
& blasphemias  
Ecclēsiæ pater  
facere sub  
pœna damnationis  
eternæ

Leuit. 5. et 24  
Deut. 13. 17.  
Iesai. 58.

2. Timoth. 4.  
Actorum 14.

Quòd autem horum hæreses & blasphemias Ecclesiæ Dei patefaciam, hoc ex Dei præcepto facio, nisi iram Dei atq̄ eius flagellum, imò damnationem æternam mihi ipsi conciliare voluero, Leuit. 5. 24. Et Deut. 13. 17.

Quod præterea hosce & similes hæreticos aliquando redarguam & increpem, id iurè diuino facio. Præcipit n̄ Deus per Iesaiam prophetam, cap. 58. Clama ne cesses, & quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum. Hoc idē & Apostolus præcipit 2. Timoth. 4. Nonne Paulus Apostolus acerrimè increpauit, & anathemate feriit Elimam magum quærentem auertere Proconsulem Paphi Sergium Paulum à fide, sicut Sarnicius & Syluius cum suis Symonistis hæreticis faciunt? Maxime. Ait n̄. Lucas in Actis, cap. 14. Saulus autem qui & Paulus repletus spiritu sancto ( nota, spiritu S. repletus ) intuens oculis in eum, nempe Elimam magum, dixit: O plene omni dolo, & omni versutia, fili Diaboli, ( hæc increpatio opus spiritus sancti est ) inimice omnis iustitię, non desinis inuertere vias Domini rectas? Et quid aliud faciunt Sarnicius & Syluius & alij hæretici in regno Põlonię, quàm vias Domini rectas, quas per libros meos æditos propago atq̄ defendo, hoc est, fidem catholicam de Trinitate & vnitate Dei, & de Mediatore Christo Domino in hæreses Arrij & Eutychetis, ac Trideitarum dogma

Nota.

inuertere & commutare. Iure itaq; cum diuino tum hu-  
mano hoc facio, quod lupos, qui in eas, quas precibus vi-  
ctus reformauit, Ecclesias irruerunt & illas dissiparunt atq;  
vastarunt ea, qua possum, iusta tamen ratione abigam &  
expellam. Aliter n. cum pñs & simpliciter peccantibus, &  
aliter cum lupis rapacibus & deploratis hæreticis atq; in  
Spiritu S. peccantibus agendum est.

Lex verò humana, quæ tamen à diuina desumpta est, Registratur in Titulo 7. de Hæreticis, cap. 11. Qui alios.  
Titulus enim est talis: Errare in fide conuincitur, qui alios  
errantes cum potest, ab errore non reuocat. Lex sequitur.  
Qui alios, cum potest, ab errore non reuocat, seipsum er-  
rare demonstrat. Hæc ibi. Manifestare itaq; Ecclesiæ Dei  
hæreses, vt illa eas extirpet, & hæreticos reuocare ad fidē  
catholicam, non est agere calumniatorem aut eos infama-  
re, cum per se diffamati sint, sed est cum diuinę tum hu-  
manę sed sanctę legi obedire, & vt Deo gloria & honor a-  
blatus restituatur procurare, & Ecclesiam, vt ab hæreticis  
caueat, ne damnetur, admonere.

Ex superioribus omnibus manifestè patet, quare cum  
supra dictis, & alijs, quorum magnus est numerus, & in  
Polonia præsertim, hæreticis concordiam in fide nec habe-  
re, neq; cum illis Ecclesiam ædificare possum. Sunt n. præ-  
ter supra dictos hæreticos, hæretici alijs in Polonia. Alij  
Photiniani & Cerinthiani sunt, qui negant Christum Do-  
minum esse verum Deum, veri Dei patris filium, sed eum  
purum hominem tantum confitentur & profitentur. Ad-  
uersus hos, præter illos quatuor, quos ædidi libros aduer-  
sus illos & Trideitas, librum vnum scripsi, Sunt & Ana-  
baptistę

STANCARUS  
quidam in  
Polonia res  
formauit Ecc  
lesias.

Decretaliũ 5.  
de Hereticis,  
Tit. 7. cap.  
Qui alios.  
Leuit. 5. 24.  
Deut. 13. 17.

NOTA.

Epilogus.

XXIX.

D

baptistę

baptistę & Arnopcedobaptistę, contra quos etiam libros quatuor composui. Sunt & quidam alij, vt mihi & alijs pro certo affirmatum est, qui & Christum negant iam venisse, sed illum expectant cum Iudæis. Fuit & vnus apud me, qui Deum, quem prædicat Moyses, negat esse verū Deum, & totum vetus & nouum testamentum abiicit. Annon finis mundi imminet? Sunt & in alijs nationibus Arriani & Eutychni, & reipsa Trideite, qui tres Deos nolentes faciunt. Cum n. faciunt Christum Mediatorem secundum vtranq; naturam diuinam s. & humanam, opus personale in Trinitate faciunt, & ob id tres voluntates, & per consequens tres essentias & naturas diuinas, & tres Deos constituunt. vt in sexta Synodo Constantinopolitana, Actione 4. & deinceps clarissimè patet. Hi n. probi viri sunt, qui inconsyderatè Philippum Melancthonem secuti, plures diuinitates faciunt.

*Iodocus Villi-  
chius.*

Vnde Iodocus Villichius & Medicus & Theologus Francoforti ad Oderam, in secunda parte sui Catechismi, carta 50. allegans ad suum propositum illum locū Pauli ad Philppenses. 2. sic scribit. Cum erat in forma Dei, id est, etiam si Deus impasibilis patri æqualis, ab æterno tamen seipsum exinaniuit, videlicet, cum (nota, nota) **DIVINA NATVRA** irę Dei contra peccatum cesserat. Meo quidem iudicio, et illud Esaię eò respexit: Et Dominus voluit contere eum in infirmitate. Hęc ille ibi ad verbum. Hic manifestè tribuit (imprudenter tamen) filio Dei propriam naturam diuinam, et ob id patri propriā, & spiritui quoq; sancto propriā. Hęc omnia ex verbis eius necessariò sequuntur. Sed hoc ex Melancthone in locis

*Melancthon.*

commu-

communibus æditis anno 1545. pagina 40. vbi sic scribit, de Christo. Natura diuina non est quidem lacerata aut mortua, sed fuit obediens patri, quieuit, celsit ire, æterni patris aduersus peccatum generis humani &c. Hæc Melancthon. Sed plura de hoc homine in sequenti libro ex libris & scriptis eius.

Sed & illos pios ac doctos viros, qui Catechismū *De Catechismo Palatino* latinatus ædiderunt, humiliter & fraternè in Domino *mon-* neo, vt diligenter ea, quæ de Mediatore scripserunt in *secunda* secunda parte, quæ est de liberatione hominis, incipiendo à numero 14. & deinceps, considerent, num omnia ( multa piè & doctè scripta sunt ) cum pura doctrina Catholicæ Ecclesiæ conuenire possint, nec ne. Et num Ioannes in *Apocal. 5.* Apocalypsi quæstioni illorum satisfaciat, vel ne. Similiter & Ioannes Damascenus, lib. orthodoxæ fidei 3. cap. 6. Et Beatus Athanasius in Euangelium de Sanctissima nostra Deipara, pagina 630. & 631. & 632. Et clarissimè in pagina 637. Conferantur itaq; hæc omnes autoritates cū doctrina de Mediatore illius Catechismi, & cum numero eiusdem Catechismi 23. vbi rectissimè scriptum est, vnā esse tantum diuinam essentiam, quæ sunt tres personæ distinctæ, pater & filius & spiritus sanctus, vnus ille verus & æternus Deus. Et videbunt, num hæc omnia & illa inter se conuenire possint, nec ne. Considerent & *Germani piè admonentur de fide.* Germani omnes ( fraternè & ex animo pio loquor ) nū Philippi Melancthonis doctrina de Trinitate & Mediatore Christo Domino, quam in locis cōmunibus æditis anno 1539. *Melancthonis fides hæretica* Halæ Sueuorum, carta 8. 10. 11. & in alijs æditis 1545. pagina 40. & 43. & 53. de spiritu sancto, quòd sit aliquid

(nota) essentię Dei, & quod necesse sit personam esse dis-  
tinctam (hoc verum est) quę est aliquid Dei (hoc hæ-  
reticum est) & tamen non est pater, habet, conueniat cū  
doctrina fidei Catholicę Ecclesię, an non? Caueāt & blas-  
phemias Doctoris Alesii Scoti in Ioannem, pagina 440.  
& 450. & 453. scribit de filio Dei, Melancthonem sequu-  
tus, quod præuidens lapsum humani generis ante condi-  
tum mundum, abiecit se ad pedes æterni patris, & totam  
(nota) ipsius iram contra nos in sese deriuauit, & trans-  
tulit. Blasphemia hæc est. Conferant itaq; hanc Melan-  
cthonis doctrinam de fide cum Confessione fidei Augu-  
stane ædite anno 1530. quę in primo articulo sic habet,

*Confessio Aug-  
ustana cons-  
demnat Me-  
lancthonem  
hæreticos.*

Ecclesię magno consensu apud nos docent, Decretum  
Nicænę Synodi, de vnitae (nota Melancthon) essentię  
diuinę, & de tribus personis verum & sine vlla dubitatio-  
ne credendū esse. Videlicet, quòd sit (notate Melanctho-  
niani) VNA ESSENTIA DIVINA, quę et ap-  
pellatur & est Deus, æternus, incorporeus, impartibilis  
(hoc notate Melancthoniani) immensa potentia, sapi-  
entia, bonitate, creator, & conseruator omnium rerum,  
visibilium, & inuisibilium, & tamen tres sint personę (no-  
ta Melancthon) eiusdem essentię, & potentię, & coæter-  
nę, Pater filius & spiritus sanctus. Et nomine personę v-  
tuntur ea significatione, qua vsi sunt in hac causa scripto-  
res Ecclesiastici, vt significet (nota Melancthon qui fas-  
cis personam filij partem Dei, & spiritum S. quoq; cum  
dicis, quandam naturam diuinam in Christo esse, & esse  
aliquid Dei, sic & de spiritu S. quod sit aliquid essentię  
Dei) vt significet non partem aut qualitatem in alio, sed  
quòd



quòd propriè subsistit. Hæc ibi & rectè.

Et in Apologia eiusdem Confessionis sic scribitur. *Priz* *Apologia Au*  
mum articulum Confessionis nostræ probant nostri ad *gustane Conf*  
uersarij (i. Papistæ) in quo exponimus nos credere & do- *1. β.*  
cere, quòd sit vna essentia diuina indiuidua. &c. ( cur tu  
Melancthon facis diuinā naturam particularem filij, fuisse  
obedientem patri, &c. tres ergo diuinitates facis, vt tres  
personas, & per consequens tres Deos ) & tamen sint tres  
distinctæ personæ ( nota ) eiusdem essentiæ diuine, & coæ-  
ternæ, pater & filius & spiritus sanctus. Hunc articulum  
semper docuimus & defendimus. Et sentimus eum habere  
re certa & firma testimonia in scripturis sanctis, quæ labe-  
factari non queant. Et constanter affirmamus aliter ( no-  
ta nota ) sentientes extra ECCLESIAM CHRIS-  
TI & IDOLATRAS ESSE, & Deum con-  
tumelia afficere. Hæc in Apologia & rectissimè.

NOTA.

Et cum Melancthon & eius sequaces, qui sunt Me-  
lancthoniani, Sarniciani, Geneuenses, & Tigurini, vt in li-  
bris & Epistolis eorum ad Polonos scriptis, & in libris  
meis aduersus eos æditis clarissimè habetur, aliter sentiant,  
scribant, & doceant, quàm hæc Augustana Confessio  
& eius Apologia habet, manifestum est, quòd sint extra  
ecclesiam Christi (i. hæretici) & idololatræ, & Deum cõ-  
tumelia afficiunt. Et quicumq; cum his omnibus, postquã  
hæc mala rescuerint, communicauerint ( nisi illi pœnitentiam  
egerint, & errores illorum reuocauerint ) illi & extra  
ecclesiam Christi, & idololatræ erunt, & Deum contumes-  
tia afficient, *Leuit. 5. 24.*

Et Martinus Lutherus hos omnes condemnat, dum *M. Lutherus.*  
D 3 fidem

fidem catholicam in Patribus, Ecclesia Papistica, & Doctoribus Scholasticis commendat, ita in libro de Nouissimis verbis Dauidis, pagina 132. in forma octaua, scribens: Si quis plura requirit ( antea multa & præclare de Diuinitate & Trinitate scripsit ) extant libri in hoc argumento præclare scripti ab Augustino, Hilario, Cyrillo. Et hæc ipsa doctrina articuli de DIVINITATE, singulari Dei beneficio rectè ( nota ) & incorruptè in Ecclesia etiam à Scholasticis ( notate Tigurini et tu Sarnici, qui Scholasticos Doctores in causa Trinitatis & Mediatoris damnatis ) scriptoribus, qui sic vocantur, tradita & propagata est, vt in eo non fuerit nobis ab ipsis dissentendum. Hæc ibi Lutherus, & rectè.

Martinus  
Bucerus.

Nonne & Martinus Bucerus, in sacra Theologia nostra ætate ter maximus, scribit plerosq; Theologorum recentiorum ( arrigite aures omnes qui me damnatis ) non benè cognouisse gloriam Christi? Maximè omnium. Sed audiamus illum in Matthæum scribentem, cap. 4. pagina 87. Quæ de pœnitentia recentiores quidam Theologi scripserunt, sunt cum iudicio legenda, & ad scripturarum sententiam exigenda. Christi gloria ( notate notate ) plerisq; illorum videtur haud probè cognita fuisse, ideo mirum non est, eos quæ ad verū Christianismū attinent, haud ita certò & luculenter tradidisse. Hæc ille. Ex quibus omnibus manifestè patet, quòd non solus ego Stancarus, vt mei aduersarij calumniantur, reprehendam multos recentiores Theologos de fide, sed & Confessio Augustana, à qua Lutherani defecerūt, et Lutherus ipse, et Bucerus quoq; damnant & reprehendunt. Dicant mihi isti, qui me accusant,

Nota.

sant, quòd eos hæreseon redarguam, & ad pœnitentiam  
adhorter, quomodo hæc Christi Domini præcepta, Dili-  
ge Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. & pro-  
ximum tuum sicut teipsum; sint intelligenda? Cum itaq;  
ego videam hosce hæreticos priuare Sanctissimam Trini-  
tatem gloria sua & honore suo, ac animas suas suorumq;  
auditorum damnare, non debeo eos transgressionum su-  
arum ac blasphemiarum suarum, vt illis relictis, & pœni-  
tentia facta, ad Deum & Christum suum redeant, admo-  
nere? Absit hoc à me. Nam & Deus expressè hoc præci-  
pit, sub grauissima pœna, & leges humane præcipiunt, vt  
supra clarissimè visum est.

Quare & Polonos omnes, & Sarnicianos præsertim, *Adhortatio.*  
Tigurinos omnes, Geneuenses, et Germanos omnes in Do-  
mino moneo, vt fidem suam de Trinitate, incarnatione, &  
Mediatore Christo Domino diligenter examinent, & cum  
Catholica fide, quæ in sequenti describitur libro, & cum  
Augustana Confessione conferant, & errores suos, hære-  
sesq; suas corrigant, abijciant, & pœnitentia facta, catho-  
licam fidem, à qua defecerunt, recipiant, vt æternum ser-  
uentur. Quod si fecerint, cõmunionem, meam illis in Dño  
offero. Quod si secus, apud me & Ecclesiã Catholicam, in  
qua Dei beneficio sum, contineo & retineo. Det illis omni-  
bus Deus spiritum sanctum, vt oculos mentis suæ aperiât,  
& videant, quàm turpiter in articulis fidei principalibus,  
Melanthonem secuti Grammaticum & hæreticum, lapsi  
suerint, & curent, vt quàm citissimè resipiscant. Amen.

Anno 1568.

In minori Polonia.

De ves

DE VERA ET RECTA INTER STANISLAVM SARNICIVM POLONVM CVM SVIS, & Franciscum Stancarum Mantuanum ineundę concordię in fide ratione.

PER EVNDEM FRANCISCVM STANCARVM MANTVANVM.



VM AB ALIQVOT MENSIBUS caussas, quibus concordiam in religione cum hæreticis nec habere, nec cum eis ædificare Ecclesiã possum, scripsissem: cumq; nonnulli inter eos & me concordiam facere tentauissent, nec tamen quicquã effecissent, statui me de vera & recta atq; sincera ineundę inter nos concordię in fide ratione scripturum, ne aliqua ex parte, quòd concordiam in Domino candidè non quæsiuerim, ab hæreticis prauisq; hominibus accusari possim. Nam qui hætenus id facere tentauerūt, discordiam potius, quàm concordiam, vt infra videbitur, promouerunt. Non enim fucatè, & indirectè, sed rectè & candidè in omnibus, & præsertim in caussa fidei agendum est. Nam Deus, qui omnium nostrum corda videt, sinceritatem, non hypocrisim diligit. Quo itaq; causam hanc omnium maximam Catholicę ecclesię considerandam iudicandamq; proponam ( hi enim hæretici non modo Polonia, sed totum ferè orbem Christianum suis hæresibus scandalifauerunt ) ego hunc ordinem seruabo,

Primum

Primum, quomodo inter me & Sarnicium ( ipse totius huius turbationis fidei in Polonia autor est, vt in historia hac de re à me scripta patet ) cum suis sectatoribus discordia de fide orta est indicabo succinctè. Non enim concordia rectè fieri potest, nisi & rectè prius discordia cognoscatur. Correlatiua enim sunt ista. Deinde, vbi incunde còcordiæ consistit difficultas aperiã. Demum quomodo inter nos vera & recta durabilisq; ( Sarnicius antea & Iacobus Syluius mecum concordiam fecerunt, sed illam fregerunt ) de fide concordia fieri possit demonstrabo. Vellent enim hi homines publicam causam, omniumq; maximam, priuatam facere, ac me suis in hæresibus inuoluerent, nec non sub vmbra mea suas blasphemias tegere, quasi quod mundus ex vtriusq; partis scriptis æditis non viderit, quid illi & ego docuerimus. Causa itaq; hæc nostra Catholicæ Ecclesiæ candidè est patefacienda, ac illi iudicanda proponenda est.

Quo itaq; hoc de fide negotium ter maximum legitime cognoscatur, primum doctrinam de fide Sanctissimæ Trinitatis, & Mediatoris Domini nostri Iesu Christi, quam ego cum Catholica Ecclesia defendebam & defendo succinctè describam. Deinde Sarnicij & sequacium persecutionem huius Catholicæ fidei in me, et mei quoq; subnectã. Deinde & Sarnicij & suorum fidem tam de Trinitate, quam de Mediatore subscribam distinctè.

Hæc est illa fides Catholica de Trinitate & vnitatem Dei, quam semper ego credidi, docui, & defendi, credo, doceo, & defendo.

*Sexta Synodus  
Constantino  
pol Actio 4.*

Credo, confiteor, doceo, & defendo sanctam & inseparabilem

*Stancari confessione  
de Trinitate.*

E

parabilem

parabilem Trinitatem, id est, patrem, & filium, & spiritū  
sanctum vnus Deitatis (nota Christiane lector propter  
meos aduersarios, qui plures deitates, vt videbis, faciūt)  
vnus nature, & substantię siue essentię, vnus naturalis,  
voluntatis, vnus virtutis & efficacię, vnus naturalis, nō  
personalis, operationis, vnus dominationis, maiestatis,  
potentię & glorię, &c. vt in sexta Synodo Constantino-  
politana, Actione 4. & deinceps, habetur: Hoc est, vt  
breuius dicam: Defendo patrem, & filium, & spiritum  
sanctum esse vnum & verū natura Deum, qui vnā na-  
turalem voluntatem, & vnā naturalem operationem  
habet, &c.

De Mediator  
re.

De Mediatore verò Domino nostro Iesu Christo sic  
semper credidi, docui, & defendi: credo, doceo, & defen-  
do, Dominum nostrum Iesum Christum Deum verum,  
veri Dei patris filium, & hominem verum, veri hominis (id  
est, virginis) filium, vnum filium, non duos filios, vt hæ-  
retici me cum Nestorio sentire calumniati sunt, vnū Chris-  
tum non duos Christos, vnā personam in duabus dis-  
tinctis, non autem mixtis aut confusis, naturis, non autē  
duas personas. Qui Christus secundum naturam huma-  
nam tantum, & non diuinam, est noster Mediator, pon-  
tifex & sacerdos, & secundum hanc naturam humanam  
opera Mediationis est executus, hoc est, orauit, interces-  
sit, supplicauit sibi ipsi secundum diuinitatem & patri, &  
spiritui sancto vni Deo Trinitati, passus est, mortuus est,  
& resurrexit, &c. & hæc opera fuerunt solius humanę na-  
ture in Christo tantum, non autem diuinę simul, vt mei  
aduersarij tunc temporis dicebant (mitiores n. in Christū  
facti

facti sunt) idem verò Christus secundum diuinam naturam cum patre, & spiritu sancto, vt creationis ac rerum omnium, ita & Mediationis, sacerdotij, & pontificatus est autor, & hoc totum tam de Trinitate, quàm de Mediatore ( vt alia scripturę loca omittam ) iuxta doctrinam Apostolicam, 1. Timoth. 2. Vnus Deus, vnus & Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. Per vnum Deum, cum tota orthodoxa Ecclesia intellexi, & docui, intelligo & doceo, patrem, & filium, & spiritum sanctum. Per hominem Christum Iesum, eundem Dei filium secundum humanitatem tantum. Hanc phrasin multis sanctorum Patrum, & scripturę sanctę autoritatibus comprobauit, vt libri mei tam æditi, quàm non æditi testantur. Hic verò paucos tantum locos describam.

1. Timoth. 2.

Hęc phrasin homo Christus Iesus explicatur, & probatur.

D. Athanasius in expositione fidei ad Epictetum Corinthiorum Episcopum sic de filio Dei scribit: Qui in consummatione sæculorum descendens è sinu patris ex impolluta Maria virgine nostrum assumpsit hominẽ Iesum Christum, quem pro nobis passioni tradidit.

D. Athanas.

Nota.

Et Apostolus, Rom. 5. Nam si vnus delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum per gratiam, quę fuit vnus hominis Iesu Christi ( comparat duos homines inter se, Adamum nempe & hominem Christum ) in multos exuberavit.

Roman. 5.

Et 1. Cor. 15. Sicut per vnum hominem ( s. Adamum ) mors, ita per vnum hominem ( s. Christum ) resurrectio mortuorum.

1. Cor. 15.

Vnde D. Augustinus Tomò x. sermone 119. sermone 3. de fide recta sic de Christo scribit. Si quis dixerit atq;

D. August.

*Nota.*

crediderit hominem Iesum Christum à filio Dei assumptū non fuisse. Anathema sit. Si quis dixerit atq; crediderit filium Dei Deum passum fuisse. Anathema sit. Si quis dixerit atq; crediderit, hominem Iesum Christum, hominem impassibilem esse. Anathema sit.

*D. Hilarius.*

*Nota has  
phrases de  
Christo.*

D. Hilarius libro de Trinitate 9. pagina 156. ita de Christo scribit. Tene ergo Christum hominem à Deo ex mortuis excitatum. Tene Deum Christum salutis nostrę operationem cum esset moriturus operantem.

*Fulgentius.*

Et Beatus Fulgentius, ad Trasiniundum regem lib. 2. pagina 50. scribit. In vno demonstrauit veritatem carnis, in altero insinuauit gloriam Deitatis. Illic permisit manum, hic amouit intellectū, vt in **HOMINE CHRISTO** resuscitatę carnis tangeretur veritas, & in eodem **DEO CHRISTO** paternę Deitatis (nota Sarnici cum tuis) crederetur æqualitas.

*Nota.*

Et pagina 56. ait. Sic in se totū hominem verus Deus & summus (notate Tigrini, Geneuenses, & Sarniciani, notate) accepit, & sic plenitudo diuinitatis veritate diuinę humanęq; substantię inconfusibiliter permanente semetipsum pleno coniunxit homini, vt vnitate deinceps in æternum manente personę, nec **HOMO CHRISTVS** à sua diuinitate, nec idem **DEVS CHRISTVS** à sua posset humanitate disiungi.

*Idiomatum  
cōmunicatio.*

Et iterum. Hoc igitur personę inseparabilis vnitas, in qua Deus & homo vnus est Christus, fecit, vt & **HOMO CHRISTVS** per gratiam nasceretur ex Deo, salua veritate ac plenitudine humanę naturę. Et idem **DEVS CHRISTVS** volūtarię pateretur in carne, salua



salua impafsibili plenitudine diuinę ſubſtantię.

Et pagina 58. Et ideo manente in vnitare perſonę naturali hominis & Dei inconfuſa & inſeparabili veritate, ſicut DEVS CHRISTVS in homine nomen hominis ſumpſit, ſic idem HOMO CHRISTVS in Deo vocabulum deitatis accepit. Hęc ille.

Ex his paucis tam ſcripturę ſanctę, quàm S. Patrum autoritatibus manifeſtè patet, hanc phraſin Apoſtolicam, HOMO CHRISTVS Ieſus, ſignificare Chriſtū ſecundum humanam naturam tantum, non autem ſecundum vtramq; hoc eſt, non etiam ſecundum diuinam, in qua cum patre idem Chriſtus & ſpiritus S. eſt vnus verus & natura Deus. Et ob id Dominus noſter Ieſus Chriſtus Dei filius eſt Mediator noſter inter Deum patrem, & ſeipſum ſecundum diuinitatem, & ſpiritus S. vnum Deum, & homines peccatores ſecundum humanitatem tantum, in qua & ſecundum quam orauit, ſupplicauit, interceſſit, paſſus eſt, & mortuus eſt &c. non autem hęc officia fecit in diuinitate, & ſecundum diuinitatem, ſecundum quam cum patre & ſpiritu S. eſt vnus Deus, cui reconciliatio generis humani facta eſt per, & ſecundum humanitatem, vt piè D. Auguſtinus ſcribit: Reconciliati ſu-

Nota.

mus per ſolum filium ſecundum ( nota ) carnem, ſed non ſoli filio ſecundum deitatem. Trinitas enim ( nota ) nos ſibi reconciliauit per hoc quòd ſolum verbum carnem ipſa Trinitas fecit.

D. Auguſt.  
ad Petrum  
Diaconum,  
cap. 4.  
3. Sent. Diſt.  
1.

Et idem D. Auguſtinus in præſatione ſecunda, in enarratione ſecundam Pſalmi 29. ita ſcribit: Quare Chriſtus interpellat pro nobis? Quia Mediator eſſe dignatus eſt.

E

3

Quid

*Nota.*

Quid est Mediatorem esse inter Deum & homines? Non inter patrem (notate Tigurini, Geneuenses, Melancthoniani, & vos Sarniciani) & homines, sed inter Deum & homines. Quid est Deus? Pater, & filius, & spiritus S. Quid sunt homines? Peccatores, impij, mortales. Inter illam (notate) Trinitatem & hominum infirmitatem & iniquitatem, Mediator factus est homo, non iniquus, sed tamen infirmus. Hæc ille ibi, sicut in quingentis locis, ut in libris meis æditis, & alijs non æditis ostendo.

*D. Ambros.*

D. Ambrosius Tomo 4, pagina 416. in oratione 2. &c.

*Quomodo S. Patres orabant.*

vbi de Trinitate & incarnatione filij scribit, sic precatur & ait. Per hunc te beata Trinitas (nota pie lector, quomodo S. Patres orabant) humanitatis habitum, per huius

*Mediatoris uox proprie quid significat.*

susceptionis humanitatem deprecor, per huius sacratissimam obedientiam, per huius beatissimam mortem exoro in primis, ut te Deum meum diligam, &c. Hæc ibi. Et nota, cum de Mediatore Domino nostro Iesu Christo aduersus meos aduersarios cum diuina scriptura, & catholica ac orthodoxa Ecclesia sic loquebar & loquor, intelligebam & intelligo, non aliter intelligebam et intelligo, quam quod Christus Dominus secundum suam humanitatem, sua obedientia, passione & morte ac effusione sanguinis sui genus humanum sibi ipsi ut Deo & patri & spiritui sancto vni vero & natura Deo reconciliauerit atque redemerit. Nam hæc vox Mediator duo significat proprie, verè & principaliter secundum Apostolum & totam diuinam scripturam & sanctos Patres, atque Doctores Scholasticos, & in proposito reconciliationis generis humani cum Deo Trinitate, duo inquam significat: Primum ordinem inter duo

extres

extrema: Deinde duorum extremorum reconciliationem. Alterum extremorum est tota Trinitas, pater nempe, & filius secundum diuinam naturam, & spiritus sanctus vnus Deus offensus à toto genere humano. Alterum verò extremorum est totum genus humanum, quod vnum Deum Trinitatem alterum extremorum offendit. Inter hæc duo extrema est HOMO Christus verbo in vnitatem personæ vnitus, primū Medius, quia nec offensus est, quia natura Deus non est, nec Deum offendit, quia de spiritu S. conceptus est, & sanctus sanctorum est. Deinde & Mediator est, quia hæc duo extrema, Deum nempe Trinitatem offensum, & genus humanum offendens, sua obedientia, passione, sanguinis effusione & morte, &c. inter se reconciliauit & pacificauit. Hæc itaq; vox Mediator et ordinem inter extrema, & insuper officium cõciliandi ipsa extrema, morte intercedente, significat. Et hoc est, quòd Apostolus 1. Timoth. 2. totum hoc negotium paucis explicat, dicens: Vnus Deus s. pater, & filius secundum diuinitatem, & spiritus sanctus. Vnus & Mediator Dei s. patris, & filij secundum diuinitatem, & spiritus S. & hominum, omnium nempe peccatorū, HOMO CHRISTVS Iesus, hoc est, Christus secundum humanam naturam tantum, qui dedit (nota, nota) semetipsum precium (hoc contra Melancthonem) redemptionis pro omnibus. Semetipsum nempe dedit in mortem, vt & ad Hebræos quoq; scribit, arguens à minori ad maius in hunc modum.

*Medius.*

*Mediator.*

*1. Timoth. 2.*

Nam si sanguis taurorum & hircorum, & cinis iuuenetæ aspergēs inquinatos sanctificat ad carnis purificationē, quanto

*Hebr. 9.*

quanto magis sanguis ( nota ) Christi, qui per spiritum  
æternum seipsum obtulit immaculatum Deo ( nempe Tri-  
nitati ) purgabit conscientiam nostram à mortuarijs ope-  
ribus ad seruiendum Deo viuenti? Et ob id ( nota ob id,  
nempe sanguinem Christi effusum, & ipsum immolatum,  
verum holocaustum, verum ascam, & verum chatath,  
hoc est, sacrificium pro peccato ) & ob id, inquam, noui  
testamenti Mediator est ( nota, nota ) vt morte interce-  
dente ad redemptionem earum præuaricationum, quæ fua-  
erant sub priori testamento, &c.

Nota.

Ex his omnibus patet, quomodo, & quid spiritus san-  
ctus per Apostolum, per Mediatorem hominem Christū  
Iesum inter vnum Deum offensum, & homines peccatores  
offendentes intelligat. Nec in veteri testamento ac nouo  
aliter capitur Mediator, nisi qui sit Medius & Mediator  
inter duo extrema discordantia, qui ipsa sua morte ac san-  
guinis effusione reconciliauerit atq; pacificauerit. Quare  
proprie, verè, & principaliter nullum aliud Mediationis  
genus nouit scriptura, nisi eo modo, quo supra ex scriptu-  
ra sancta ac sanctis patribus ostensum est. Nec vnquam  
alia inter Melancthonem, Pinczouianos, atq; Sarnicium  
cum suis, & me controuersia fuit, nisi de hac significatio-  
ne Mediatoris, qui secum mortem, & sanguinis effusionē  
adferat. Imo si alio modo hæc vox Mediator apud S.  
Patres & Doctores Scholasticos, quos nunquam viderāt  
aut legerant, propter Eutychnianos caperetur nesciebant,  
aut legerant, propter Eutychnianos caperetur nesciebant,  
nisi ego indicassem. Imo nec articulus de Trinitate inter  
nos controuertebatur, nisi quòd inter ministros pauci qui-  
dam, vt Lysmaninus, Sarnicius, Petrus Gallus, & alij  
pauci,

Nota.

pauci, qui venenum Arrij & Eutychetis clam spargebat,  
& sub nomine Mediatoris, Trium Deorum, & trium spirituum doctrinam in aures simplicium instillabant. Putarunt n. sibi optimam occasionem de Mediatore oblatam fuisse, quam prius Andreas Osiander, deinde Melancthon mouerit, demum Stanislaus Sarnicius eam in Poloniam attulit, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitatem ex Ecclesia Dei prosciberent, & tres Deos in aequales introducerent, sicut & fecerunt. Similiter nec de Incarnatione, nec de persona Christi, sed tantum secundum quam naturam Christus esset Mediator inter nos controuertebatur. Quod cum animaduertissem, cepi ministrorum primates partim ore, partim epistolis admonere, vt ab incepto nefario desisterent, vt in historia de autoribus controuersie in causa religionis in Polonia ortę descripsi. Vtinam & quidam Generosus Nobilis, cui hæc omnia perspecta sunt, librum suum in lingua Polonica scriptum in lucem æderet. Ille n. totam causam diligentissimè & fidelissimè descripsit, & causam meam iustificar. Fraudes præterea, imposturas, maliciam, nequitiam, & calumnias quibus hæreses in Polonia plantauerunt, succinctè complexus est. Nam omnes illorum technas nouit. Sed ad Mediatorem redeo.

Quòd verò obedientia illa, orationes illę ac supplicatio-  
nes passio, sanguinis effusio, ac mors hominis Christi  
tantam vim & efficaciam atq; potentiam expiandi peccata  
nostra habuerint, & nos sibi vti Deo, & patri, & spiritui  
sancto, vni Deo reconciliauerint, hoc à tota Trinitate,  
& ab vna Deitate patris, & filij secundum deitatem, &  
F spiritus

Efficacia Meo  
diationis vno  
de.

Spiritus sancti, ita ordinante ac donante, & illa opera acceptante factum est, non autem à diuinitate solius filij vt Sarnicius, & Tigurini ac cœteri mei aduersarij scribunt & dicunt, quod est Arrij, Eutychetis, ac Trideitarum dogma est. Et n. vt supra diximus, vna tantum Deitas seu diuinitas, quam totam habet pater, totam filius, & totam Spiritus sanctus, & ob id ipsę tres personę vnus Deus est, vt in libro contra Caluinum & Bullingerum, & in alio contra

*D. Athanas.* Trideitas apertè demonstro. Nam & *D. Athanasius* lib. *Vna Deitas* 4. pagina 226. inter multa præclarissimè de Trinitate scripta contra Arrianos sic scribit: Si præter Deitatem patris, aliam deitatem excogitarem, complures Dñ essent. Et infra: Filij diuinitas, patris est. Vnde & indiuisibilis est, atq; vnus Deus, & non alius præter ipsum. Et pagina 227.

*Philipp. 2.* Propria substantia patris (notate Tigurini, & tu cum tuis Sarnici) filius est, in quo creatura Deo reconciliatur, & ita fit, vt quę operatur filius, opera sint patris. Et paulo post. In paterna liquidem Deitate subsistit & conspicitur filius, &c.

*D. Athanas.* Et in Euangeliũ de Sanctissima Deipara, pagina 631 scribit: Deum vnum in tribus subsistentijs prædicamus, in quibus fit vna substantia, VIS & EFFICATIA. Et pagina 637. ait. Deus interim perfectus, & homo perfectus (de Christo scribit) vnus ratione vnus personę, duplex tamen natura. Hunc igitur hominem, quem dicimus, quod verbum gestauerit, hunc ipsum Deus pater, quum illi placuerat, cooperatione sancti Spiritus, vnà simul collaborante Filio inunxit spiritu sancto, tribuens ei (nota, nota) omnē EFFICATIAM, eundemq; virtute al

*Nota.*

tute altissimi circumcinxit, vt posset ( notate Tigurini, & tu Sarnici ) sustinere omnem aduersarię potestatis impetum, & operari deinde ( nota ) curationem in populo. Nota  
Hęc omnia D. Athanasius, qui Deitatem seu diuinitatē filij, diuinitatem Patris esse dicit, & per consequens spiritus sancti, & omnem efficaciam Mediationis hominis Christi à tota Trinitate datam esse fatetur.

Nonne & Christus Dominus ait Ioan. 5. ad Iudęos, Ioan 5.  
Pater meus ad hoc vsq; temporis operat̃, & ego operor̃ Opera filij  
Propterea ergo magis quærebant eum Iudęi interficere, Patris sunt.  
quia non solum soluisset sabbathum, sed & Patrem suum dixisset Deum, æqualem ( nota Sarnici ) se faciens Deo.  
Respondit itaq; Iesus, & dixit eis: Amen amen dico vobis ( nota ) non potest filius à se facere quicquam, nisi quid viderit patrem facientem. Quęcunq; n. ille fecerit ( nota ) hęc eadem & filius similiter ( nota similiter, hoc est, eodem modo, non autem diuerso propter carnem assumptam ) facit. Hęc filius Dei incarnatus, sicut & alibi: Pa- Ioan. 14. x.  
ter in me manens, ipse facit opera. Et .x. Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi. Sin verò facio, cū si mihi non creditis, operibus credite, vt cognoscatis & credatis, quod Pater in me est, & ego in eo.

Ex his Domini verbis clarissimè patet, filium Dei incarnatum nihil, nihil prorsus facere. quin illud, & eodem modo, non autem diuerso, vt mei aduersarij volunt, faciat pater, & per consequens spiritus sanctus. Nam caro Christi nihil filio Dei attulit, aut ademit, sed mansit quod erat, factus quod non erat. Efficacia itaq; Mediationis Christi non à persona, seu diuinitate solius Christi ( vt ipsi volūt )

aut peculiari quodam modo, sed à tota Trinitate, & eodem modo, vt supra visum est, prouenit.

*Epilogus.*

Ex superioribus omnibus manifestè patet, neq; diuinitatem solius Christi (vna n. tantum est diuinitas trium vt supra visum est) neq; opera eius atq; energia seu efficacia ad Mediationem concurrere, vt Geneuenses, Tigurini, & Sarnicius volunt, sed sola eius humanitas verbo in vnitatem personę vnita hoc officium est execututa. Est ergo Christus Mediator noster secundum humanitatem tantū, & non secundum diuinitatem, in qua cum patre & spiritu sancto, vt creationis, & rerum omnium, ita & Mediationis est autor. Quam doctrinam obtuli me explicaturum & pluribus in Synodo Pinczouiana 8. die Augusti, anno Domini, 1559. celebrata, si me audire voluissent, at noluerunt. Fui n. paratus in templo bis, mane nempe & à prandio cum libris sanctorum Patrum in mensa expositis, vt hanc, quam profitebar & nunc profiteor cum catholica Ecclesia, fidem explicarem, sed me nullo pacto audire voluerunt. Voluerunt n. (sicut & fecerunt) tres Deos, pro vno vero & natura Deo in Polonia prædicare & plantare. Et quò commodius id facerent, cœperunt me calumniari, quod vnum Christum in duos cum Nestorio diuiderem, & tres personas Trinitatis in vnā cum Sabellio personam contraherem & confunderem, sicut & ad exterās nationes scripserunt, quorum literę in manibus meis sunt. Alij præterea calumniabantur me, cum Iudæis negare Christum esse Deum, & Sarnicius præsertim, sed illum purum hominem facere. Alij me fidem Turcicam prorsus habere (& hoc quoq; Sarnicius, vt infra, dicebat) & me



& me tandem Iudæum circumcisum esse. Et quid non?  
Nam suis calumnijs ita me deformatunt ubiq; locorum,  
vt Diaboli nomen libentius quam Stancari nomen audirent  
omnes, & hac ratione Trideitarum & Arrianorum  
Eutythianorumq; doctrinam et fidem plantauerunt in  
Polonia, & ab ea Catholicam fidem, quam Stancarianā  
(ò nequitiam ac impietate hominum) appellarunt, plantauerunt.

Postquam de Trinitate & Mediatore doctrinam meam,  
quam cum Catholica Ecclesia profiteor atq; defendo,  
descripserim, superest, vt paucis ostendam, quomodo  
Stanislaus Sarnicius cum suis hanc doctrinam in me, &  
me quoq; (præter supra scriptas calumnias) acerrimè fuerit  
persequutus, idq; quanta cum breuitate fieri poterit,  
faciam.

Primum omnium in illa Synodo Pinczouiaua 8. Augusti  
celebrata, anno Domini 1559. præter alias persecutiones,  
tres discipulos meos, qui munere fungebantur scholastico,  
ab officio deposuerunt, & alios loco illorum substituerunt.  
Sic n. illi in præfatione illius suæ longissimæ confessionis  
(longas & breues, magnas & paruas, æditas & manuscriptas  
ædiderunt confessiones) scribunt, carta 15. Didascalum vnum  
& duos hypodidascalos accersiuimus (hoc factum fuit in templo)  
& cum illi se cum STANCARO sentire disertè faterentur, interdiximus  
eis schola, & omni prorsus instituendæ iuuentutis munere,  
puerosq; quos domi suæ aiebant & instituebant omnes  
ab illis submouimus, & alijs didascalis instituendos  
dedimus.

*Sarnicius &  
Trideite persequuntur  
ST Ancarum*

*Tres discipuli  
Stancari excommunicantur  
re ipsa.*

Et ante hæc scribunt. Ne virus hoc (nota Christiane lector, quo loco catholicam fidem habent) doctrinam Stancarianam in Ecclesiis nostris diffunderetur, decretum est, (nota, decretum est) ut facta omnium ministrorum, didascalorum, & hypodidascalorum examinatione, omnes à sua functione amouerentur, quicumque se suspectos (nota) de STANCARI doctrina ullo modo reddidissent, donec se suspitione liberarent. Postremo autem, ut omnibus constare possit, nos cum restitutis omnibus per Germaniam, Heluetiam, & Sabaudiam Ecclesiis hac in parte (nota, hac in parte, ergo non in omnibus) prorsus consentire, visum uniuerso cœtui, ut publicè omnes testarentur, se in ea Stancari controuersia cum Domino Philippo (nota diligenter lector) Melancthone & prædictis omnibus Ecclesiis sentire. Stancari verò doctrinam eo loco à nobis haberi, quo loco ipse nostram haberet.

Nota.

Et ante hæc omnia scribunt: Nos palam testamur, doctrinam Stancari de Mediatore nobis omnino non probari, quod & Christi Domini (nota) gloriæ derogare, & Apostolicæ confessionis fundamentum impetere non obscure videtur. Hæc carta 3.

Et in 15. scribunt. Deinde nos cauere oportet pro ratione vocationis nostræ, ne CONTAGIO (nota, nota) doctrinam Stancarianam nostræ ecclesiæ inficeretur. Hæc & plura alia in præfatione illius confessionis fidei, quæ fidei dei confessio omnium ministrorum consensu, ut ipsi testantur, ædita est, anno Domini, 1561.

Nota.

Nota horre-  
dam persecu-  
tionem Sarni-

Facta illa doctrinam meam & catholicam Ecclesiam inquisitione, & discipulis illis meis tribus re ipsa, si non verbo, ex-

commu-

communicatis, literas per vniuersam tam minorem, quam <sup>cij. Tridei</sup>  
maiores Poloniam, Masouiam, Rufiam & Lituauiam ad <sup>tarū in Stano</sup>  
omnes Nobiles scripserunt, vt si Stancarus ad eos veni- <sup>carum</sup>  
ret, eum vti Hæreticum non reciperent, sed eñcerent. Vos-  
lumus enim eū ex toto regno pellere. Et cum oſſeciffent,  
me in Rufiam ad Magnificum virum, D. Dominum Sta-  
nislauum Stadnicium profecturum, illicò præmittunt Sta-  
nislauum Sarnicium ( aut ipse sua sponte iuit ) ad præfatū  
M. D. Stadnicium, vt me nullo pacto reciperet. Suasit  
quidem ille, sed non persuasit. Ab illo ergo discessit ( ni  
fallor ) feria secunda, & ego ad eum veni feria quarta.  
Qui Stadnicus me vti angelum Dei hospitio suscepit,  
& per bienniū, omnibus inimicis rumpentibus & disrum-  
pentibus odio & inuidia, me cum familia mea & illos tres  
discipulos honorificè aluit. Is n. vir, cognita veritate fi-  
dei, quam profitebar, etiam ab amicis & affinis suis non  
passus est se seduci, aut sibi persuaderi, vt viros veram  
Christi fidē profitentes eñceret. Et super hæc omnia qui-  
dem illi animam meam quærebant. Dixit n. Magnificus  
Dominus Cancellarius Ocieski M. D. Stadnicio, me præ-  
sente & audiente, Domine Stadnici curam diligentem ha-  
beas de Stancaro. Nam quærunť aduersarij eius illum  
occidere. Hoc n. tibi pro certo affirmo. Sed iterum ad  
præfationem confessioni: Trideitarum.

Scribunt in carta 14. Non ignorat Stancarus alioqui  
nos apud ipsum ( nota ) testatos esse doctrinam PHI-  
LIPPI MELANCTHONIS & suorum omniū  
( nota ) nobis probari omnino, ipsius verò Stancari do-  
ctrinā improbari, nisi aliter ( ex verbo Dei ) confirmaretur.  
Hæc ibi.

Nota:

Ex

Ex his omnibus manifestè habetur, quomodo primum  
controuersia inter nos orta, non de Trinitate, nec de In-  
carnatione, sed de Mediatore fuit, nec etiam de persona,  
quot s. & quibus naturis constaret, sed secundum quam  
naturam Christus erat Mediator, vt infra ex illorum ap-  
parebit doctrina. Deinde doctrinam, quam cum Eccle-  
sia Dei profiteor, ab illis improbari, quam venenum, con-  
tagium, & euersionem fundamenti confessionis fidei A-  
postolicę vocant, quam & ab illorum Ecclesiis proscri-  
pserunt, & me cum professoribus illius fidei & doctrine  
persequuti sunt, & me occidere quæsiuerunt. Demum Phi-  
lippi Melancthonis de Mediatore doctrinam illis proba-  
ri omnino constantissimè protestati sunt. Quare clarissi-  
mè apparet, quanto cum furore, & impetu Tridicte & Sar-  
nicus præsertim me cum pura doctrina fidei & profes-  
sores illius persecuti sunt. Restat vt videamus, quam et  
qualis sit tam Philippi Melancthonis, quam Stanislai  
Sarnicij cum suis doctrina tam de Trinitate, quam de Me-  
diatore. Nam quamuis ex professo de Trinitate non erat  
quæstio, sed de Mediatore tantum publicè, occultè tamen  
in aures quorundam tres Deos, & tres spiritus instillabāt,  
& sub voce ac nomine Mediatoris (vt dictum est) vnum  
Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitatem proscribere,  
& loco eius tres Deos collocare voluerunt, sicut & collo-  
cauerunt. Nam postea hanc doctrinam palam inuulga-  
runt, vnde à spiritu vertiginis agitati omnes ministri, qui  
vnanimiter contra Deum ac Christum eius & me conspi-  
rauerunt & persecuti sunt, inter se secti sunt & diuisi. Ius-  
tum iudicium Dei, & pœna peccati. At videamus prius

Philippi

Philippi Melanthonis doctrinam de Trinitate & Mediatore, quam modis omnibus & palàm approbant, deinde Sarnicę fidem de hisce articulis videbimus.

Quia articulus de Mediatore Christo Domino rectè cognosci non potest, nisi articulus de Trinitate prius cognoscatur, ideo videamus quid Melanthon de Trinitate prius, deinde quid de Mediatore senserit.

*Philippi Melanthonis doctrina de Trinitate.*

Scribit itaq; Philippus Melanthon in locis communibus suis, anno, 1539. Hæc Sueuorum æditis, carta 8. in hunc modum. Porrò, cum haud dubiè ( de Christo scribit) sit natura filius, necesse est in eo aliquid (nota aliquid) esse diuinę naturę substantialiter. Quicquid autem est extra personam Patris ( nota, nota) quod tamen est aliquid diuinę naturę, id necesse est personam esse. Hic habes Christiane lector secundum Melanthonem in Christo particularem quandam diuinam naturam, quę est extra personam patris.

Et carta .x. Necesse est igitur in Christo aliquam (nota aliquam) diuinam naturam esse, per quam omnia sunt condita. Et hic habes aliquam diuinam naturam in Christo esse.

Et paulo post in eadem pagina ait: Hęc sententię clarè testantur, in Christo & esse & manere (nota) quandam diuinam naturam, per quam omnia condita sunt.

Et carta .xi. pagina secunda scribit. Porrò cum tenebimus Christū natura filium Dei esse, facilè (nota hæc verba, & diligenter nota) poterit & hoc defendi (s. Arrij doctrinam veram & renouatam) quòd in Christo sit (nota) quædam diuina natura, & quòd λόγος sit persona.

G

Et in

Et in alijs locis communibus, anno 1545. Basileę æditis pagina 55. æditis sic de spiritu S. scribit, Significatum est persona diuina in dicto Ioël, cum ait Deus, Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Quia n. inquit meo testatur non mitti creatam agitationem ( nota, nota ) sed aliquid essentię Dei. Necessse est autem personam esse distinctam quę est aliquid Dei, & tamen non est pater. Hęc Melancthon.

Cum itaq; filius Dei est quædam diuina natura secundum Philippum Melancthonē, & spiritus est aliquid Dei, & Pater quoq; est aliquid Dei, necessse est omnino, vt Pater, & filius, & spiritus sanctus sint tres Dñi, illiq; imperfecti, & vnaquęq; persona suam particularem diuinā essentiam habeat, & ita verus Trideita est Melancthon, & omnes, qui Melancthonis doctrinam approbant, qui Sarniciani sunt, Trideiteę sunt. Aut, quòd illi tres imperfecti Dñi vnum Deum perfectum constituent.

Questio, secundum quã naturam Christus est Mediator.

N

O

T

A.

Et idem Melancthon in Epistola ad Illustrissimũ principem Marchionem Ioachimum secundum Brandenburgensem, scripta Torgę 3. Octobris, 1552. scribit, Christum solum secundum humanitatem esse Mediatorem, vt Stancarus dicit, hanc propositionem esse falsam, minimeq; admittendam dico. Nam secundum vtranq; naturã Christus est Mediator & manet. Ad Mediatoris n. officium pertinet non solum passio, sed etiam victoria, atq; intercessio ( nota diligenter lector Melancthonis doctrinam ) per quę Christus in diuina maiestate in arcanum consilium ingreditur, est summus pontifex, placat & reconciliat magnã iram patris aduersus peccata, & orat p nobis omnibus,

bus. Hæ sunt (nota, nota) proprietates diuinę nature; &c.

Et in Epistola ad Thomam eiusdem Principis consiliarium scribit, eodem die, mense, & anno. Ac si controversia est, de propositione: An Christus sit Mediator tantum secundum humanam naturam, iam dico meam sententiam, planè errorem esse, dicere Christum tantum secundum humanam naturam Mediatorem esse. Quia ad Mediatoris proprietatem pertinent, non tantum mors, sed vt sit (nota) precium æquiualeus, & sit victor mortis, item vt sit sacerdos ingrediens in sancta sanctorum, hoc est, in arcuum consilium diuinitatis, item vt sanctificet dato spiritu sancto. Hæ sunt (nota quot diuinitates faciat Melancthon) proprietates diuinę nature. Hæ & plures alię Arrianę & Trideitarum blasphemię sunt in his & alijs Epistolis ad consiliarios prædicti Principis, & in libris Melancthonis, vt in libris meis aduersus ipsum Melancthonem ostendo. Nec opus est, vt hic eius dicta de Mediatore clarius explicem, cum verba ac sensus apertè Arrianas blasphemias contineant, vt in eius & Arrij Antithesibus ostendo. Sed vnã, inter alias, adhuc blasphemiam Melancthonis adduco, cum dicit, quòd filius Dei ab æterno præuidens lapsum hominis proiecerit se ad pedes Patris, & supplicauerit (nota) æterno Patri pro genere humano. Et in locis communibus æditis anno 1545. pagina 40. sic blasphematur. Natura diuina (de Christo loquitur) non est quidem lacerata aut mortua, sed fuit obediens Patri, quicuit, cessit irę æterni Patris aduersus peccatum generis humani. Hæc ibi. Et quid hac Arriana blasphemiam horribilius & detestabilius? Et quid est doctrinam

*Filius Dei ab æterno supplex fuit Patri.*

de filio Dei, imò totius Trinitatis euertere, & è solio Maiestatis suę deponere, si hoc non est? Sed ad doctrinam Stanislai Sarnicij Poloni descendo, quam ab ipso hausit Melancthone, quam & Symonistas suos & populos cum publicè tum priuatim docuit, vt ipse in Niedzviedz ore suo testatus est, dum fidem suam in scriptis deposuit, vt infra. Sic n. legimus in dictatis eius ad interrogationes factas.

*Sarnicij dos  
Arina Arria  
na & Tride  
itarum.*

Primum interrogatus Sarnicius, An credat Deū vnum esse? Respondit: Vndenam didicerimus Deū esse vnum? Cui nos ex scriptura sancta veteris & noui testamenti, ex Symbolo Nicceno adduximus, & locum ex 6. Deut. Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus vnus est. Ad hęc Sarnicius diu multumq; (nota diligenter omnia prudens lector) tergiversatus per deuia quærens à proposito elabi, vix in hęc verba respondit: Credo in Deum patrem, & filium patri consubstantialem, & spiritum sanctum, vnam essentiam, &c. Hęc ibi in prima interrogatione, & responsione. Nam quidam Domini Nobiles viri pñ & docti interrogabant eum de fide, & ille respondebat. Vnde apertè apparet, Stanislauum Sarnicium non vnum Deum, sed tres Deos credere, & docere. Tamen, cum postea illi probaretur, respondisse propter timorem, patrem, & filium, & spiritum sanctum, vnum Deum esse. Hęc omnia acta apud me sunt, & duos Dominos Nobiles, quę ille negare non potest. Sequitur.

*Nota blasphemiam  
Arria  
nam.*

Interrogatus etiam Sarnicius, An filius Dei in diuina natura sit autor vnà cum patre salutis nostrę? Respondit: Filium secundum vtranz naturam esse Mediationis exequuto:



quotorem, patrem verò autorem. Illa n. persona, quę per  
aliam agit, habet principatum, illa verò persona, per quã  
agitur est executor. Vnde etiam minor est filius patre in  
diuina natura ratione officij, &c. Hęc & plura alia prima  
die. Postridiè verò de Mediatore altius (ita scribit ille, qui  
cum alijs Sarnicium interrogabat, & scribebat) exorsus est  
in hunc modum exponere.

Officia Mediatoris sunt, vt doceat, intercedat, pascat,  
sciat controuersiam inimicitarum, sacrificet, vincat mor-  
tem, & hęc omnia vt faciat ( nota, nota quæso ) secundũ  
vtrancq; naturam ex æquo. Fuit autem ab initio mũdi Me-  
diator, & pastor, & sacerdos, &c. Vnde post multa ita  
concludit: Ergo manifestum est, verbum filium Dei an-  
te incarnationem ab initio mundi docuisse, & Mediatorẽ  
extitisse. Hęc & plura alia, quę omitto, de primo officio  
Mediatoris dictauit. Quę omnia Arriana sunt, vt D. Aus-  
gustinus scribit in libro de Sermonibus Arrianorum. Ser-  
quitur Sarnicius.

*Nota bl'asphē  
mias Sarnicij  
de Mediate*

In secundo officio Mediatoris, quod est pascere &c. cõ-  
cludit ex æquiuatione & ait. Quare credamus nos scri-  
pturę Propheticę & Apostolicę, Filium Dei in diuina na-  
tura ( plures diuinas naturas cum Melancthone facit )  
verbum ipsum nostrum pastorem esse, qui distinctus est  
à patre ab intra, & ab extra. Hęc Sarnicius ibi.

Ego verò Stancarus æquiuationem tollo. Filius Dei  
secundum diuinitatem cum patre & spiritu S. ( vna est di-  
uinitas trium ) est pastor, sed vt autor. Idem autem filius  
us secundum humanitatem est etiam pastor, sed vt Me-  
diator & seruus, vt in libro contra Melancthonem probõ.

Sed Sarnicius cum Melancthone facit Christum secundū  
vtrancq; naturam pastorem, sed vt seruum ex æquo.

*Dogma Arrij* In tertio officio seu attributo ( ita ipse Sarnicius scri-  
bit ) exponens illud Domini : Et ego rogabo patrem, de  
diuinitate Christi cum Arrio interpretatur, & ait. Hic  
igitur Dei filius patrem rogat : Clarifica me ea claritate  
( hæc accepit à Melancthone Arriano, nam & Caluinus  
sic interpretatur in scripto ad Polonos misso, quod apud  
me est ) quam prius habui, &c. Hic certè ( inquit ) in  
quantum verbum, & de natura sua diuina loquitur. Non  
n. ab initio humanā habuit, &c. Omnino Arrij hæc sunt.

*Nota blasphemiam Arrij.*

*Efficacia Mediat. à diuinitate filij Dei.*

In officio verò quinto, quod est ( ait ) offerre, inter  
cætera scribit. Tota autoritas, dignitas, vis, & efficacia  
Mediationis, & ipsius Mediatoris pendet ex diuinitate  
filij Dei, neq; in his locis adductis communicatio idio-  
matum potest admitti. Hæc ibi. Et hic plures diuinitates  
facit Sarnicius.

*Sarnicius uerus Trideita. Plures n. diuinitates facit, aut unam in plures sciat.*

Et paulò infra. Christus posuit animā suam à seipso,  
& mortuus est verè, & à seipso surrexit, hoc est, non tota  
( nota nota pie lector horrendam blasphemiam ) & inte-  
gra diuinitate à mortuis surrexit, sed tantum ( nota quæ-  
sò ) ea diuinitate, quæ est in ipso filio. ( Hæc ex Melancthone,  
vt supra visum est, vnde clarissimè hi homines veri  
Trideite sunt ) Ex his igitur ( inquit Sarnicius ) scri-  
pturæ clarissimis testimonijs concludimus, Christum to-  
tam personam obtulisse oblationem patri secundū ( nota  
blasphemiam ) vtrancq; naturam. Est n. pontifex & sacerdos  
sola diuina natura ( nota quomodo & hic Sarnicius  
plures diuinas naturas facit, vnam sacerdotem offer-  
rentem,

*Occidit Christum secundū vtrancq; naturam Sarnicio*

rentem, quę filij est, & alteram patris, quę sacrificium suscipiat) sacrificium verò humana. ( antea dixerat, sacrificium secundum vtranq; naturam, diuinam s. & humanam, hic verò, humanam tantum ) Et propterea ratione officij ( inquit Sarnicius ) & dispensationis, & executionis est minor patre filius etiam in natura diuina, Hęc ibi Sarnicius. Hic cesso alias blasphemias, quę inde sequuntur, præter eas, quas in parenthesisibus indicaui, exponere, & contradictiones, quibus apertè cognoscitur, Sarnicius Sciolus esse, & turbator atq; corruptor Catholicę fidei, & in sanctissimam Trinitatem horrendus blasphemus.

**NOTA,**

Et in conclusione sexti officij de Mediatore sic scribit. Iam igitur docui & luce meridiana clarius comprobauit, ac veluti digito euidentissimè monstrauit iuxta sex attributa Mediatoris, Dominum nostrum Iesum Christum filium Dei secundum vtranq; naturam, hoc est, diuinam & humanam inter Deum patrem ( nota veram Arrij doctrinam ) & homines esse Mediatorem, & ante incarnationem ab initio in natura diuina ( vide quot naturas diuinas faciat ) fuisse Mediatorem, sed imperfectum, ( nota imperfectum ) postquam autem incarnatus est esse perfectissimum Mediatorem. Vnde subiungit Sarnicius.

*Nota dogma  
Arrij & Trinitarum.*

Nunc ad Doctrinam Stancari venio. Fateor quidem quòd nulla vnquam ætas de hac controuersia ( nota quæso Christiane lector ) Mediatoris propriè locuta est. Verum omnium ineptissimè Stancarus, neq; habet autores, quos sequatur, præter impuros ( nota ) scholasticos. Hęc ille, qui & sequitur calumniando me, quòd negem Christum

*Totum Christianismum de Mediatore damnat Sarnicius.*

stuma

stum esse Deum, sed eum purum hominem faciam.

Ista igitur ( inquit ) particula tantum est nimis horrenda, quæ veluti securis acutissima dissecat ( nota extremam hominis ignorantiam, vtinam non maliciam, sic etiam Varſcauie in concionibus suis vt mihi relatum est, calumniatus est me ) Christum, & planè excludit ab ipsius persona diuinitatem ( non à persona ò Sarnici, sed ab officio Mediationis cum sanctis patribus qui sic loquuntur & rectè ) vt nos tandem in Iudaicam & Mahumeticam fidem deducat. Cum dicimus, dominus meus & Deus meus ( nota glosam Sarnicio dignam ) si adde-rem tantum, iam omnino excluderem. Quare fugite fugite particulam tantū. Est n. serpens ille antiquus. Hæc ibi Sarnicius subtilissimus ( si Deo placet ) diuinę scripturę interpres.

Sed ecce Christiane lector, hoc anno 1567. prima ( ni fallor ) Octobris, significauit mihi præfatus Sarnicius, aut fratres eius, non n. benè recordor per duos Nobiles viros, vt permittam illi & suis dicere: Christus est noster Mediator solum, & non tantum, secundum humanam naturam. O caput eleboro dignum. O ignorantiam in superintendente abominandam, & non ferendam. Pudet me profectò talia puerilia scribere. Scribere me tamen illa oportet, vt mundus videat, quales ministros & prædicatores habeat Polonia. Pergit & concludit Sarnicius de Christo loquens in eodem sexto attributo, & ait. Non n. hæc vel illa natura in Christo operata est ( nota diligenter lector ) sed tota & vnica & indiuidua persona, nec est aliquod opus nature, sed personę. Hæc Sarnicius,

Nota calum-  
niam.

Sarnicius Ar-  
rianus, Eutys-  
chianus, &  
Macarianus  
est, atq; Tris-  
denta.

nicius qui opus personale in Trinitate facit contra Catholicam fidem, ut in sexta Synodo Constantinopolitana, Actione 4. & deinceps habetur. Hac n. doctrina necessario sequitur Trideitarum hæresis, ut omnibus mediocriter in Theologia doctis notum est. Et postquam multas alias blasphemias, quas hic omitto, ne sim prolixior, dictauerit Sarnicius, sic tandem concludit. Possem pluribus doctrinam Stancari confutare, sed hæc sufficiunt.

Hæc omnia, & alia plura, ut dixi, Stanislaus Sarnicius Polonus in dictatis Niedzwiedzensibus, quæ D. D. Hieronymus Osolinus & Stanislaus Drohoioui cum plurimum docti viri & Nobiles Generosi Sarnicio dictante scripserunt, presentibus D. D. Stanislao Lasocio & Hieronymo Philipponio, qui à partibus Sarnicij tunc temporis stabant. Et hæc omnia coram verè Magnifico D. Dño Stanislao Matthæo Stadnicio illius loci legitimo hærede & Domino. Aderant & plerique alij, inter quos fuit Gregorius Orfacius vir pius & doctus, nec non Reuerendus D. Benedictus Cracouiensis nunc Minister Turoliglouiensis & pastor, & Reuerendus D. Christophorus Przechaczka Leopoltanus, nunc temporis Dubicensis Minister & pastor, qui cum audiisset blasphemiam de non integra diuinitate Christi, ut supra visum est, surrexit & ad me venit, dicens: Domine (verba eius fuerunt) doctor Stancare non possum audire blasphemias huius nebulonis Sarnicij. Ego verò dixi, ne discedas, te rogo, sed omnia diligenter audi & scribe. At ille, non possum, inquit, amplius audire huius hominis blasphemias, quibus dictis, ille discessit. Alij verò, & præsertim illi Do-

H

mini

mini Nobiles, qui dicta scripserunt, ad finem vsq; perse-  
uerarunt. Hic Christophorus nunc Sarnicio illarum blas-  
phemiarum non agenti pœnitentiam se adiunxit, me recla-  
mante & illum sapius admonente ne faceret, nisi prius se-  
riam pœnitentiam egerit, at monenti non paruit. Deus  
miseretur eius.

*Lysmaninus.* Franciscus Lysmaninus natione Græcus, patria Cor-  
circus, olim Monachus Franciscanus, qui cuculla abiecta,  
superintendens tunc in Pinczovv constitutus, ad Melanc-  
thonem de actis Synodi Pinczouie celebratis, scribens, sic  
ait inter cœtera. Is igitur nuncius cum fideliter, tum sædu-  
lo referet omnia ( eius literę sunt apud me ) quę cum tuo  
illo veteri mastige Mantuano ( de me Stancaro intelli-  
git ) hic egimus: cum in nostras Ecclesias explosum illud  
suum de CARNEO MEDIATORE portentū  
inuehere manibus pedibusq; niteretur. Hęc in literis illis.  
Hic est illę Lysmaninus, qui mihi, & quibusdam etiam  
Nobilibus dixerat, Papistas ( ò perditissime omnium )  
nunquam habuisse veram & rectam fidem de Trinitate.  
Et Valentinus Gentilis præsente Paulo quodam Alciato  
dicebat, Lysmaninum sibi dixisse: Et tu Gentilis non cre-  
dis tres diuinitates? At ille dixit, minime. Nam Gentilis  
tres Deos vnus naturę diuinę specificę, non vnus nume-  
ro profitebatur, vt Abraham, Isaac, & Iacob, tres homi-  
nes naturę humane. At Dñs Deus iustus iudex, Trideitam  
Lysmaninum iustissimè castigauit. Proiecit enim se in  
puteum in Prussia, & ita seipsum suffocauit. Vtinam si-  
milia omnibus reprobis, maliciosis, & impœnitentibus ec-  
ueniant, ne nomen Domini Iehouę, hoc est, ne totam Tri-  
nitatem

*Nota quęso.*

*Nota blasphemiam.*

*Lysmanini mors.*

nitatem blasphement. Pœnitentibus verò veniam peccatorum suorum donet, & illorum misereatur Dominus. Amen. Moueat te quæso Sarnici & te Iacobe Sylui huius Lysmanini horribilis casus, moueat vos rogo, vt vos blasphemiarum vestrarum (eratis n. omnes fratres, & eandem religionem profitebamini) seriam pœnitentiam agatis, ne in æternum pereatis.

Ex Sarnicij dictatis, & Lysmanini literis habes Christiane lector, quid isti homines de Trinitate, & Mediatore senserint, sentiantue Sarniciani nempe tres esse Deos inæquales, & Christum secundum vtranq; naturam Mediatorem esse, imò pro portento habere Christum secundum humanam naturam, quem per contemptû, **CARNEVM MEDIATOREM** appellant, esse Mediatorem, qui secundum diuinam (vt ego cum Ecclesia catholica profiteor) vnâ cum patre & spiritu S. est vnus verus & natura Deus, vt creationis & rerum omnium, ita & Mediationis est autor. Nam si rectè perpenderis, prudentissime lector, horum hominum doctrinam, apertè videbis, eos nihil, aut parum humanitati Christi tribuere, sed diuinitati filij proprię & particulari (vt ipsi faciunt) quę filij diuinitas, aut filius secundum suam particularem & propriam diuinitatem omnia Mediationis opera fecisse in sua humana natura, vt organo sensibili quidem et animato, sed tamen irrationali (non dicunt quidem his verbis aut syllabis expressis, sed inde sensus elicitur) & secundum vtranq; naturam eum & passum fuisse & mortuum fuisse, vt volebat Arrius, & post eum Apollinarius hæretici. Ad Tigurinos venio, à quibus Sarnicius &

*Epilogus.*

*Nota.*

*Tigurinorum doctrina qua.* Sarniciani pendent toti, qui Tigurini cum Geneuensibus licet per proprium librum aditum confutati sunt, tamen duas aut tres illorum auctoritates repetam, & eas examinabo, & errores illorum in fide ostendam, vt & ipsos ad searum poenitentiam, si possum, adducam. Nam & doctrina illorum, doctrina Trideitarum (Jent veniam rogo) est, vt infra videbimus. Et quamuis Iosias Simlerus suos defendere conatus est, tamen eius doctrina & tractatio per manifestam contradictionem subuertitur, cui respondere non opus est. Illum tamen Christophorus Leopoltanus doctissimè confutauit. Sed ad rem.

*Iosias Simlerus.*

*Epistola prima Tigurina ad Polonos.*

Tigurini in Epistola ad Polonos scripta & adita, anno 1560. 27. Maji, petentes ab eis consilium contra me, secundum quam naturam Christus esset Mediator, sic ad Polonos respondendo scribunt, pagina 3. Dum ergo (Tigurini dicunt) quaeritur, quomodo Christus inter nos & Deum sit Mediator.

*Examinatur questio de Mediatore.*

Hic siste gressum lector, & hic mihi duo considera. Primum, quomodo quaestio est, Nam non de Incarnatione, nec de persona, seu, an Christus sit duarum naturarum, aut sit purus Deus, vel nudus homo (de hisce n. rebus nulla vnquam fuit inter nos controuersia, vt nunc hi, qui inter nos concordiam quaerebant, proposuerunt, & nouam controuersiam mouerunt) sed de Mediatore Christo inter vnum Deum Trinitatem, & nos peccatores, hoc est, inter duo extrema discordantia, quorum vnum sit offensum, nempe Deus Trinitas, alterum verò sit offensor, homo nempe, seu genus humanum offendens. Mediator verò ille sit, qui nec offensus est, quia Deus natura non est,



est, nec Deū offendit, quia peccator non est. Hic est homo Christus, qui de spiritu S. conceptus est, & in vnitatem personę verbo ipsi vnitus est. Quæstio ergo erat, quomodo Christus inter nos & Deum esset Mediator. Audi quęso, quomodo Tigurini ad quæstionem respondeant.

Dicimus (inquiunt) quatenus Deus & quatenus homo. Hęc est Tigurinorum responsio. Sed quid sibi velit hęc responsio, videamus.

Si per Deum alterum extremorum, Patrem, & filium, & spiritum sanctum vnum Deum intelligunt, ergo Christus quatenus Deus, vel secundum diuinitatem non potest esse Mediator, sed quatenus homo tantum, aut secundum humanam naturam tantum, quod Tigurini nolūt. Non fit hic separatio personę, quia de officio & operatione naturarum in Christo est quæstio, non de persona, quę Deus verbum est & homo.

Si verò per Deum, solum patrem intelligunt, vt intelligunt, vt infra videbimus illorum verba, manifestum est, eos duos Deos facere, patrem vnum, qui sit (secundum eos) alterum extremum, & filium alterum Deum, qui cū homine Christo sibi personaliter vnito sit Mediator inter patrem suum vnum extremum, & genus humanum alterū extremum. Et hoc est proprium Arrñ dogma, Eutychetis, Macarij & Trideitarum. Quod si pater & filius sunt duo Dñj, ergo & spiritus S. est tertius Deus, & hoc modo Tigurini Trideite sunt. Respondeant Tigurini ad hanc examinationem si possunt. Nam filius Dei incarnatus, apud Ioannē, dicit: Nihil, nihil inquit, facere potest filius, quin 1048. 56

H 3 illud

illud viderit patrem facientem. Quæcunq; n. ille fecerit, hæc eadem & filius similiter ( nota hæc eadem, & similiter, non autem dissimiliter propter carnem assumptam ) facit. Et, pater in me manens, ipse ( nota ) facit opera. Sed audiamus rationem huius sue responsionis.

*Tigurini non  
sibi constant.*

Quia ( dicunt ) Mediatoris personam par est vtriusq; nature participem esse, ita vt duo extrema in eodem indiuiduo vel in eadem persona conueniant. Hæc illi. Omnino hæc ratio non probat, secundum fidem catholicã, Christum esse Mediatorem inter Deum Trinitatem & genus humanum, sed quòd Mediator sit duarum naturarum, de qua re nulla fuit controuersia. Si verò ratio illorum valere debeat, necesse est, vt duos Deos constituent, vnum patrem solum, & alterum filium incarnatum Mediãtem inter solum patrem et genus humanum, quod Arrii est & Trideitarum. Responsionis itaq; probatio nihil facit ad quæstionem iuxta fidem orthodoxam, quia non de persona, sed de naturis, & naturarum operationibus erat & est quæstio. Concludunt Tigurini & dicunt :

*Opus personale.*

Quocirca in opere sequestris ( i. Mediatoris, propter indoctos ) vna natura ab altera non est diuellenda. Hæc illi. At ratio est de persona, & illi de operibus concludunt.

En habes prudentissime lector opus personale contra fidem catholicam, & etiam contra confessionem suam in altera Epistola ad Polonos scripta, in qua profitentur & confitentur se recipere illa sex priora Concilia generalia de fide, quorum vltimum est, Constantinopolitanum sextum, in quo, Actione 4. & deinceps damnatur opus personale in Trinitate, & naturale statuitur. Nam qui dant

opus

opus personale in Trinitate, tres Deos manifestè constituant, vt in libro ædito contra eos demonstro. Tigurini hoc faciunt, Trideitę ergo sunt. Dicunt n. ( nota ) in opere Mediatoris, quem Deum & hominem constituunt, vt nam naturam ab altera non esse diuellendam. Omnino duę illę naturę in Christo non sunt diuellendę, sed tamen duarum illarum naturarum opera non sunt vnienda, sed distinguenda. Qui n. opera duarum naturarum in Christo non distinguunt, sed vniunt, vt Tigurini & Sarniciani, illi Arriani, Eutyichiani, Macariani & Trideitę, &c. sunt, vt Actione 4. in prædicto 6. Concilio habetur, quod & Tigurini recipiunt, & ob id à seipsis confutantur, vt & à tota Ecclesia Catholica. Subiungunt Tigurini de operibus Mediationis & Mediatoris & dicunt pagina 4. Primum fuit Mediatoris, tempore constituto nasci, mori, sepeliri, surgere, ascendere in cœlum, pro nostra salute. Hęc personę opera fuerunt, sed quatenus erat homo, ita vt nihilominus ratio naturę diuinę ( hic vos interrogo ò Tigurini, quot sunt diuinę naturę? ) non excludatur. Nam quòd hęc facta ( nota diligenter lector ) summopere DEO placuerint, & pro nostra redemptione PATRI accepta fuerunt, id ( nota ) ab excellentia diuinitatis, quę fuit in Christo, dimanauit. Hęc ibi.

Hic manifestè vides, Tigurinos tribuere filio Dei suam, & propriam atq; particularem naturam diuinam, & patri suam, & per consequens spiritui sancto suam, & ob id pater, & filius, & spiritus S. tres Dñi sunt. An non ò Tigurini, quod illa hominis Christi opera Deo & patri placuerint, id ab vna diuina natura & simplici totius Trinitatis

Nota.

Nota.

Trideite Tigurini.

nitatis prouenit, & non patri tantum, sed etiam ipsi filio secundum diuinitatem & spiritui sancto placuerunt vni Deo? Maximè omnium. Quare Tigurini velint nolint duos Deos ( ad verbum ) faciunt, & duas diuinitates, vnam patris, alteram filij. Si n. hac de causa Christus secundum etiam diuinitatem ( de humanitate non fuit controversia ) est Mediator, quia ab excellentia diuinitatis eius, quæ fuit in Christo, opera humanitatis Christi id habent, vt summoperè placeant DEO, & accepta sint PATRI, manifestum est, quòd alia patris, & alia filij diuinitas sit, & ob id pater est vnus, & filius est alter Deus, & ita duo Dñi. Si verò diuinitas filij, patris, & spiritus S. diuinitas sit, vt est, quia vna tantum est diuinitas trium, & opera hominis Christi id habeant, quòd Deo & patri placent, ergo tota Trinitas cū homine Christo verbo in vnitatem personæ vnito est Mediatrix ad propatōra Valentini antiqui hæretici. Quod si nec hoc, nec illud volunt, similiter necessario concluditur, filium Dei secundum diuinitatem non esse Mediatorem, sed tantum secundum humanitatem.

Verum, quia modis omnibus contendunt, Christum secundum vtranq; naturam esse Mediatorem inter Deum patrem, & nos homines peccatores, & opera Mediatoris non esse diuellenda, sed vnienda, necessario sequitur ( secundum eorum doctrinam ) filium Dei esse alterum Deum à Deo patre, & per consequens Spiritum S. tertium. Et ita velint nolint Trideite sunt.

Et pagina 6. & 7. ita scribunt. Si quæzatur, quomodo Christus intelligatur intercedere, vel aduocatū agere

ac ro

ac rogare patrem, quod item est opus Mediatoris: potest  
ex dictis facile responderi, Christi personam hoc facere,  
sed quatenus homo, non tamen ita, vt natura diuina (no-  
ta, & natura diuina, & quot sunt nature diuine o Tigu-  
rini?) excludatur. Quoniam dignitas illarum precum,  
& quod sint apud patrem adeo gratiose atq; acceptę, fuit  
ex (nota nota obsecro prudens lector) ex nature diuine  
excellentię, quę fuit in Christo cum humana coniuncta  
est. Hęc ibi.

Notas

Et in posteriori Epistola, pagina 47. vbi docent Polo-  
nos, quomodo de Mediatore componi possit Controuer-  
sia, humana opera (hoc parum recte) homini Christo  
tribuendo, scribunt, sinendo interea (nota diligenter, &  
nota) diuinitatem filij ad rationem & officium (nota of-  
ficiũ) Mediatoris concurrere, quatenus humanitati iun-  
gitur, &c. Et paulopost scribunt: Scimus Petrum Lom-  
bardum 3. libro, Dist. 19. in hac re (nota) fuisse alluci-  
natum, ex cuius (nota) lacunis hęc sua Stancarus hau-  
sit, & vt alij Scholastici faciunt, defendenda suscepit. Hęc  
ibi.

Notas

Et ex his, vt supra, pie ac docte lector habes Tiguri-  
nos Trideitas, Arrianos, Eutychianos atq; Macarianos,  
cum faciant vnam diuinam naturam filij, quę est in Chri-  
sto coniuncta cum humana, & ob id vnum Deum, & pa-  
trem alterum Deum, & alteram naturam diuinam, &  
perconsequens tertiam diuinam naturam spiritum sanctũ  
& tertium Deum. Quare vnum e tribus sibi eligant Ti-  
gurini: Aut, quod patris, & filij, & spiritus S. sit vna tantũ  
diuina natura, & ita excellentia precum hominis Christi

vygentur Tig-  
gurini.

fluet à tota Trinitate, & ita tota Trinitas cum humanitate Christi erit Mediatrix ad propatorum Valentini hæretici. Aut, quòd filius suam, & propriam ac particularem diuinam naturam habeat, & pater propriam & suam, & spiritus sanctus suam & propriam ac particularem diuinam naturam, & ita tres erunt diuinitates, & tres Dñ. Aut, quòd filius Dei sit noster Mediator tantum secundum humanam naturam, & non diuinam, in qua & cum qua cum patre & spiritu sancto est vnus Deus, & vna diuina natura, cuius est vna naturalis voluntas, & vna naturalis operatio, non autem personalis. Si primum & secundum non vultis, Tigrini, sed tertium (date vos quartum) ergo me Stancarum cum catholica Ecclesia iustificatis, qui dicimus, Christum secundum humanam naturam tantum esse Mediatorem, secundum diuinam verò cum patre & spiritu sancto Mediationis autorem. Quod si hoc vultis, vt cogimini fateri, nisi Trideitè esse velitis, cur ad Polonos scripulistis, vt me hæreticum è medio sui eijcerent? Sic n. scribitis in fine prioris ad Polonos Epistolę. Pergite sic docere (I. Christum secundum vtranq; naturam Mediatorem esse, vt supra scripserunt) Ecclesias vestre fidei creditas, ac STANCARVM cum SECTARIIS (sectarius latinè, hæreticus est græcè) similibus auertere ab eis, & accipietis benedictionem à Domino. Hæc ibi Tigrini.

*Tigrini per  
sequitur Stan  
carum apud  
Polonos, &  
illum pronun  
ciant hæretic  
cum.*

Videtisne Tigrini quid cum homine catholico catholicam fidem proficiente ac eam defendente feceritis? Publicastis n. me immeritò hæreticum, cum sim catholicus, & suastis Polonis, de quibus benè meritis fui & sum, vt

me

me ex ecclesiis suis, quas ab illis precibus victus reformaui, enecerent? Fecistisne opus Christianis dignum, nec ne? Iudicate vos Tigurini, iudicate, an rectè vel secus feceritis? At Dominum Iesum precor, vt vobis tantum facinus parcat. Amen.

Possem & pluribus hanc materiam de fide ex vestris & Geneuensiũ scriptis, quę in manibus meis sunt, exaggerare, sed hæc pauca sufficiũt, vt vobis vestras ostendā turpitudines, vt relictis erroribus atq; hæresibus vestris, & illis retractatis, fidẽ catholicã suscipiatis, vt æternũ saluemini.

Hactenus & Philippi Melancthonis, Sarniciq; & sequacium, & Tigurinorum ( Geneuenses idem ferè, quod Tigurini docent, vt in meo aduersus eos libro edito demonstro ) doctrinam de Trinitate & Mediatore hæreticã esse clarissimè demonstraui, quæ doctrina tres Deos constituit, qua quidam Poloni Trideitę sunt facti. Ostendi etiam inter nos nullam fuisse prorsus de persona Christi, aut de eius incarnatione, controuersiam, sed tantum secundum quam naturam Christus esset Mediator. Illi secundum vtramq; Ego verò secundum humanam tantum.

Illi efficaciam volebant & volunt à diuinitate filij, quæ est in Christo, fluere. Ego verò ab vna sola diuinitate, quæ tota, plena, & perfecta in Christo est, quæ & patris & spiritus S. est. Hanc vnam, & omnem, & totam diuinitatem habet pater, totam filius, totam Spiritus S. et ob id tres ipsę personę sunt vnus Deus. Nam pater est in filio, & filius in patre, & spiritus S. in vtroq;. Tota præterea diuina natura est incarnata, sed tantum in persona filij, non autem in persona patris & spiritus S. Coloss. 2.

Epilogus Trinitarum.

Coloss. 2.

Nam extra Christum nulla natura diuina est, quia vna tantum est, eaq; simplex, quę est in Christo per vnionem personę, vt in libro 3. aduersus Trideitas, vbi de incarnatione Christi scripsi, habetur.

BVlenger. in  
3. cap. ad  
Galat.

Hic me continere non possum, quin Heynrici Bulingeri sententiam quandam, quam in 3. cap. Epistolę ad Galatas, scribit, hic adscribam. Ea n, sic se habet, cum de Mediatore tractat, pagina 374.

Cur oportus  
it?

Vbi de hochabes  
uerbum  
Dei?

Nota.

Oportet n. Mediatorem inter Deum & homines vtriusq; nature esse participem, vtriusq; partibus appositum & coęqualem. Talis autem Mosces non erat, proinde verus Mediator inter Deum & hominem esse non poterat. Cæterum cum non nisi vnus sit Deus, & natura Dei indiuisa, non potuit Mediator verus constitui, nisi ipse Deus ille vnicus hominem indueret, & inimicitiam ex lege obortam aboleret, sublata legis maledictione, collataq; benedictione Abrahę promissa credentibus. Id quod factum est, dum verbum caro fieret, & nos per crucem ab execratione legis liberaret. Hęc ille.

Nota.

Hanc sententiam diligentissimè examinarem, sed alijs me prudentioribus examinandam relinquo. Diligenter tamen illud considerandum est. Quod cum Bulingerus dicat, vnicum tantum esse Deum, qui incarnatus est (is est filius) & vnā esse naturam Dei indiuisam, & hunc vnicum Deum Mediatorem esse inter Deum & homines, vtrum plures Deos faciat, nec ne? Aut, cum filius sit vnicus Deus incarnatus, vtrum is possit esse Mediator secundum diuinitatem, qui Deo hominem conciliet, nec ne? Nam si Mediator est inter duo extrema, Deū nempe  
offen-



offensum, & hominem offendentem, & is Mediator est  
vnicus Deus, videtur nullum esse Deum, cui homo paci-  
ficetur. Imò nec ille vnicus Deus potest esse Mediator in-  
ter extrema. Ego hanc doctrinam non intelligo, vz quòd  
sit vnicus Deus, & ille incarnatus (vnicus omnem nume-  
rum excludit) & ille vnicus Deus postea sit Mediator in-  
ter Deum, qui non est, & homines qui sunt. Non intelli-  
go. Nam primum, vnicum Deum incarnatum facit, qui  
sit inter Deum (nota diligenter) & homines Mediator:  
Deinde vult illum vnicum Deum incarnatum, qui dua-  
bus naturis, diuina nempe, quæ indiuisa est, & humana  
constat, vtriusq; partibus nempe Deo & hominibus appo-  
situm & coæqualem esse, quod videtur stare non posse.  
Vnicus est, præter quem nullus alius est. Deinde nescio  
quem alium Deum (proculdubio patrem intelligit) vnū  
extremum, & homines alterum extremum constituit, in  
quorum medio vnicum incarnatum Deum collocat. Pro-  
fectò ingenij mei paruitas hanc doctrinam non assequi-  
tur. Quare huius sententiæ claram explicationem velle.  
Videtur tamen ex hac doctrina concludi, Bulingerū nul-  
lum Deum, nullumq; Mediatorem habere, nisi in Chimæ-  
ra. Volo doceri. Sed ad propositum doctrinæ Sarnicij.  
Christophorus Przechaczka seu peripateticus ab hinc  
biennio Cracouia rediens, & ad me Stancarum Stobni-  
ciæ agentem diuertens, sic in literis apertis ad Generosum  
D. Osolinium mittendis scribit, inter cœtera. Quod Me-  
diatoris controuersiam attinet, & Trecium (nota lector)  
& reliquos hic ex Caluino, Bulingero & alijs prorsus pen-  
dere video, ac Christum (nota, nota) iuxta diuinam etiã  
natura

Nota.

naturam Mediatoris officium ( nota officium Mediatoris ) executum esse palàm profiteri citra vllam communicationem idiomatum. Hæc ad verbum in illis literis, quæ apud me sunt.

Sed quid opus est testibus? Audiamus testimonium oris Sarnicij & suorū, quod palàm & publicè in Synodo Cracouię hoc anno 1567. 2. Octobris celebrata, ædedit. Nam mihi palàm interroganti aliquoties, vt confessionē fidei suę faceret, negauit se id facturū, sed dixit in scriptis suis, quę supra vidimus, me confessionem suam legere potuisse, meam autem confessionem damnarunt, & labyrinthum vocarunt. Sed totam illam actionem audiamus. Reuerendus D. Benedictus Cracouiensis notarius fuit.

Actio Synodi  
Cracouię ces  
lebr. 1567.

Anno Dñi 1567. Die 2. Octobris. Collocutio facta est inter D. Franciscū Stancarū, & ministros Sarnicianos Trideitas, in Palatio M. D. Palatini Lublineñ, Cracouię. Inprimis tractatum est de humana & modesta colloquutione ex vtriusq; partibus, & conclusum.

imò uocarūt,  
ut infra uide-  
bis.

Deinde statim in ingressu D. Stancari quæsita est à Stancaro causa sui in conuentū aduentus. Inquiebant n. Dic Stancare, ad quid huc ueneris? Nam id fratres ministri ex te scire uolunt. Hic Stancarus, Missi inquit à M. D. Voinicensi huc uenimus, non spontè nos ingressimus, idq; ad tractandum inter nos de concordia, vt Deus, non Satanas, in nobis regnet, pax etiam atq; concordia fiat. Rogo igit à uobis R. D. Ministri, vt dignemini me audire.

Sarniciani sic  
bi usurpant  
imperiu in al  
teram partē.

Responderūt Ministri. Si Stancare disputandi gratia aliquid uolueris loqui, nos non admittimus disputationē. Stācarus. Quamuis, inqt, tres sint vię tractandę inter nos

concor-

cōcordiæ, tamen illas nunc omitto recensere, sed cōpendio-  
siorem ego ingrediar. Quæro à vobis gaudi viri. Vtrum cū *Interrogati*  
Ecclesia Catholica & sancta credatis patrem & filium & *de fide, non*  
spiritum S. esse vnum verum Deum, qui vnam naturalem *respondent.*  
voluntatē, & vnam naturalē operationem habeat nec ne?

Responderunt Ministri. Diximus nos nolle disputare,  
& hæc est disputationis species, qua tu Stancare vteris.  
Igitur rogamus te, velis alia compendiosiore via nobiscū  
agere, si huc venisti propterea, vt pacem nobiscū habeas.

Hic rursus Stancarus, Missus huc veni, vt dixi, Etsi mi- *Secundò in a*  
hi respondere nolueritis, breuiter concordia, vel discordia *terrogati de*  
patefiet. Quæro igitur, Vtrū credatis patrem & filium & *fide, respo*  
spiritum S. esse vnū Deum, &c. cum tota Ecclesia catho- *dere nolunt.*  
lica, nec ne?

Ministri aiunt. Age causam tuam via alia, Stancare,  
non n. disputabimus nos.

Stancarus. Hæc, inquit, facilius est via mei Reuēren- *Tertio inter*  
di Dñi, si id mihi prius concedatis, vel non? *rogati nolunt*

Hic nomine ministrorum, Sarnicius dixit, Legisti *fidem fateri*  
Stancare nostras confessionses, ergo iam scire potes no- *suam.*  
stram fidem, quid credamus. *Sarniciani*  
*plures fidei*  
*confessiones*  
*habent.*

Multas equidem, Stancarus inquit, vestras confessi-  
ones vidi, & duodecim illarum numeravi, sed eas variis  
astis atq; mutastis, non ab re igitur à vobis quæro denuo,  
vt sciam fidem vestram, quænam sit.

Sarnicius, Etsi, ait, in verbis varietas fuerit & sit, tamē  
in sensu non est varietas vlla in nostris confessionibus. *Nota*

Non est ita, Sarnici gende, sed in sensu ipso variaſtis, ait *Quarto inter*  
Stancarus. Rogo itaq; respondete mihi, Vtrum credatis *rogati de fide*  
patrem *respondere res*  
*ciſant.*

patrem filium & spiritum S. esse vnum Deum, &c.

Vbi Sarnicius. Non eo modo Stancare nobiscū agas, sed sine quæstionibus cōtinua oratione loquere quid placeat, nos audiemus te.

*Stancari de fide confessio.*

Tandem Stancarus. Quandoquidem confiteri Catholicam fidem recusatis, ego sequens D. Petri monitionem, vt parati semper simus, vniciq; à nobis postulanti reddere rationem de fide nostra, sic fidem meam coram vobis confiteor. Credo, teneo, defendo, confiteor Patrem & filium & spiritum S. esse vnum verum & naturalem Deum, qui vnam naturalem voluntatem, & vnam naturalem operationem habeat, vnus potentie, virtutis, efficacie, dominij, glorie, &c. Quemadmodum sancta Ecclesia Catholica ex tribus Symbolis, & xi. Toletano Concilio, atq; 6. Constant. Synodo credit & confitetur. Et hæc de Trinitate sancta.

*Actio 4. 8. x. 16. 18.*

*De incarnatione & Mediatore.*

De Incarnatione. Confiteor totam Deitatem incarnatam esse, sed tantum in persona verbi. Confiteor Christum esse verum Deum & hominem verum, vnum Christum, non duos, vnam personam non duas. Qui cum patre & spiritu S. est vnus Deus secundum diuinitatem, secundum autem humanitatem tantum vel solum, & non secundum diuinitatem est noster Mediator, pontifex & sacerdos, & executus est officia Mediationis, &c. Dico filium Dei non habere peculiarem diuinitatem, nec voluntatem & operationem, sed communem cum patre & spiritu sancto, &c. Probo Apostolo Paulo 1. Timoth. 2. Vnus Deus, vnus Mediator Dei & hominū, homo Christus Iesus.

*Sexta Synod. Act. 4.*

Hic

Hic breuiter Stancarus declarauit, quid per vnum Deum, & vnum hominem Iesum Christū sit intelligendū secundum patres. De Mediatoris mediūq; significatione egit, probaturumq; sese S. scripturis & Patribus sub capitis amissione promisit, etiam coram toto regno.

Argumentatione tali quoq; vsus est, Cum patris & filij & spiritus S. sit vna numero diuinitas, vnus Deus, &c. Quomodo &c. Mediator enim si esset Christus secundū vtramq; naturā Trideitę aut Valentiniani triumpharent.

Quod aut de quodammoda efficacia illa, quam peculiariter filio tribuunt, attinet, vno verbo hæc Ioan. 5. cōdemnatur, Nihil facit filius, &c. Vide Damascenū lib. 3. cap. 15. de orthodoxa fide. Sed Arrius hoc corrūpebat, ad id, vt diceret filium iubente patre omnia facere, hoc nos non dicimus, sed ad ostendendam vnus Dei patris & filij & spiritus S. vnā operationem.

Illud verò, quod obiici solet. Filius est incarnatus, non pater nec spiritus S. ergo aliquid facit filius, quod non facit pater & spiritus S. Hoc friuolum est. Aliud enim est facere, aliud fieri, agere & pati. Opus incarnationis est totius Trinitatis, sed terminatur in filio. Athanas, in sermone de sancta Deipara.

Tandem conclusit, illam Apostolicam sententiā, Vnus Deus, &c. continere totum mysterium redemptionis nostrę. Hæc est, inquit, fides catholica, &c.

Ad hæc respondit Sarnicius. Aliam spem conceperamus, Stancare, de te, quam nunc cantilena hac refers. Nam Ziemiczki aliud retulit de vobis, idq; ex libro Christophori se accepisse dixit, quod cum audiuisse fratribus

Hic tacite fidem  
meam confes-  
sam damnant

NOTA  
quomodo fide  
dem catholis  
eam, per Stāo  
earum cōfese  
sam, labyrinthum  
uocant.  
Et nunc pu  
blice recusatus

Iterum hic fide  
dem meam da  
mnanant.

cum gaudio retuli. Sed audio quod illam cantilenā repe  
tis, qua iterum ad illum labyrinthum deducimur. Ita &  
Christophori literę longē aliam spem nobis fecerant, imō  
& mihi ore retulit quādam ad eam spem, & confirmauit  
illam deposita apud me sua confessione, cui quidem tum  
responderam, nos non solere de tantis rebus priuatim tra  
ctare. Monui ergo, vt scripto comprehenderet sua dicta,  
promisitq; scribere, & si scripto æquiores fratres acquire  
ret, petēt, vt significarem sibi. Quod & feci, deq; Synodo  
ista certiozem reddidi. Sed quia hæc spes, eadem imō ef  
ficatioze adhuc D. Stancare tua cantilena nunc aufertur,  
non te vocassemus huc, si hoc sciuissemus.

Tamen occasionem istam mi Stācare nunc ne negligito  
rogo. Multa n. bona inde sequi possunt, sicut & Christo  
phorus in suo scripto habet, vel tu potius Christophore  
nobiscum agas, &c,

Nota.

Respondit Stancarus. Ego non sum huiusmodi ho  
mo, vt fidē meam mutem, nec eam mutabo vnquā. Quo  
niam hæc est vera Catholica fides, quam semper profes  
sus sum & profiteor, & præter hanc solam omnes hæreticę  
fides sunt. Ego quæsiui concordiam, vt liber meus æditus  
testatur, sæpissimeq; tentauī illam & per me & per viros  
probos, quod an ita sit, iudicet Ecclesia Dei. Neq; enim  
nunc etiam cupio aliud, quàm concordiam in Domino.

Christophorus quoq; respondit dicens: Tria sunt à te  
pēde D. Sarnici in me dicta, quę Dño Stancaro præce  
ptori meo obseruandissimo suspicionē de me mouere pos  
sent. Literę, quas scripsi tibi, collocutio etiam tecum ha  
bita, & via restituendę concordię scripto isto cōprehensa.

Literas

Literas quod attinet, vt me tacente, illis à suspitione liberer, velim illas in medium proferri, vel si non sunt, vt sensus literarum dicatur quo palam fiat. Collocutio etiam mea tecum Sarnici nihil aliud, quàm scriptum hoc erat. Quo scripto nihil volo derogare sententię nostrę de Mediatore, quã tenemus, & quam etiam nunc Dñs Stancarus confessus est. Quod aut moueor ad concordia, sciant vestre &ndę paternitates me semper illam cupere & nunc maximè ob scandala, quę ex discordia manant. Sed vos &ndi viri illam etiã nunc subterfugitis, quoniam rectã fidem D. Stancari, quam p̄fiterur, & nunc professus est, damnatis. Nam etiam D. Augustinus in quantum homo, ait, Christus est, intantum Mediator est.

*Sarniciani se  
dem Stancari  
catholicã pub  
licè in Syno  
do damnant.*

Tandem per Gallum Ioannem Thenaudum Christophoro respondent. Scriptum Christophori profert, illud vrget, hoc efficere concordiam posse asserit.

Stancarus dixit. nouam quæstionem hoc scriptum cõtinet, quam nunc audire nolo, nisi prius quod controuersum fuerat dirimatur, postea illud quoq; soluam. De hac re sola toties repetebatur.

*Nota*

Christophorus dixit suum scriptũ non præiudicare sententię D. Stancari. Tandem post contentionẽ ministrorum longam Simon conclusit dicens: Ego sum senex non possum amplius sedere, sed nos iudiciũ Ecclesię Dei M. Dño Voynicensi referemus. Postremo Stancarus ad seriam pœnitentiam omnes hortatus est, & sic discessum est. Hic est finis huius Actionis.

Ex hac huius Synodi Actione hæc manifestè habent̄. Primum, quod Sarnicius cum suis, cum sit altera discordantium

*Summa Actio  
nis Synodi  
Cracou.*

dantium ac litigantium pars, eaq̄ deterior, imò absolute hæretica, in alteram partem, quæ catholica & Christiana est, quæ nos sumus, quatuor nempe (at vnus postea defecit) ministri & ego, vsurpauerit sibi imperium & potestatem, quod est contra omnia iura.

Deinde, quòd quater de fide interrogati palàm fidei suę confessionem fateri noluerunt, sed scripta sua appellarunt, quæ apertè hæretica sunt. Timent n.

Ad hæc, confessionē fidei meę expositam, damnarunt palàm, quam & labyrinthum vocarunt, ac ea sibi spem in eundē inter nos concordie ademptam fuisse falsi sunt.

Vnde manifestè elicitur, eos nihil aliud à me expectasse, quàm vt catholicā de Trinitate & Mediatore fidem retractarē, ac ad pedes eorum puolutus & supplex veniam deprecarer, atq̄, vt me in Ecclesiā reciperent suam, suscepta ab illis imposita pœnitētia, orarem. Iudicent p̄, prudentes ac docti omnes. Sed & hoc prætereundū non est, quòd plures suę fidei confessiones, easq̄ etiam secundum illos, verbis varias atq̄ diuersas se ædidisse fatent̄. Quorsum opus erat, tot fidei confessiones easq̄ varias atq̄ diuersas in Ecclesiā spargere? Annon satis fuisset vnā ædere? Maximè omniū. Hæc n. varietas atq̄ multiplicatio confessionū fidei Sarnicianorum, turbationis Ecclesię & regni, & totius orbis Christiani scandali cū nota hæresum manifesta, manifestū indicium & argumentum ostendit.

Visa itaq̄ Sarnicianorum de Trinitate ac Mediatore fide, quæ Arrij, Eutychetis, Macarij et Trideitarū deniq̄ est, restat, vt ad id, quod secūdo loco p̄positū fuit, veniā, nēpe, vt ostendā, vbi in eundē inter nos cōcordie consistat difficultas.

Diffi-



DIFFICULTAS INEVNDÆ INTER  
NOS CONCORDIÆ IN FIDE INDICATUR.

Difficultatis ineundę concordię inter Sarniciũ cum suis & me tres causas esse video. Prima est pudor. Secũda timor. Tertia cum Geneuensibus & Tigurinīs, à quibus omnibus pendent toti, in fide vnio, seu cõfœderatio, quasi quod Catholica & Christiana fides à nouis hominibus, et non à verbo Dei immediatè pendeat. De quarta dubito, & præsertim in personis Sarnicij & Iacobi Syluij.

*Tres cause  
concord. impedi-  
entes.*

Pudor Sarnicium & Syluium cũ asseclis detinet, quominus catholicam fidem, quã ante sunt persecuti, blasphemauerunt, & hæreticam proclamauerunt palàm recipiant & profiteantur, & suam hæreticam publicè abiurent, retractent, & damnent. Nam antea hi duo præsertim veritatem fidei agnouerunt, dum mecum inierunt concordiam, vt in priore libro ostendi.

*Pudor.*

Hæc itaq; apud se cogitant. Quid M. D. Palatini, Castellani, Capitanei, & ceteri nobiles, ac populares de nobis ministris dicent, si nunc eam fidem recipimus, quam antea tam priuatim, quàm publicè pro concionibus damnauimus, malediximus, & blasphemauimus, & nostram abiuramus, ac cum Stancaro concordiam facimus, quem tantopere hominem iustũ & innocentẽ insectati fuimus, qui nobis viam veritatis præmonstrabat, qui ab hæresibus nos reuocare conabatur, qui pro catholica fide, quam publicè Cracouię docebat, in Polonia carcerem ultra duos menses passus est, quẽ nos nostris viribus omnibus è regno Polonię eijcere conati sumus, quem nos nostris calu-

mnis pscidimus, & monstrū in Ecclesia Dei depinximus  
toti regno, ac veluti Diabolū aliquē incarnatum omnibus  
fugiendū tam priuatim, quā publicè p̄dicauim⁹. Quid  
itaq; de nobis ministris dicent? Nonne nos & ignoratiē,  
imō maliciē, temeritatis, inuidiē, odi, furoris, inconstan-  
tiē, quę vitia omnia à verbi Dei ministris aliena esse debēt,  
redarguent omnes, & illis contēptui erimus? Hęc & his  
similia apud se cogitāt, si cum Stancaro, de pura religione  
(Deo sit gloria semper) in Polonia p̄sertim, restituenda,  
ppaganda ac cōseruanda benè merito, concordia fecerint.

*Pudor quid se  
cum adferat.  
Luc. 9.*

Sed audiant illi Christum Dñm ad se & sui similes lo-  
quentē atq; dicentē: Quem mei meorumq; sermonū pudu-  
erit ( audite, puduerit, audite ) huius & filium hominis  
pudebit, cum venerit in Maiestate sua & patris, sancto-  
rumq; angelorum,

*Timor.*

Sed & timor illis est impedimento. Timent enim, ne à  
Nobilibus ex parcecjs eñciantur veluti seductores & arare  
aut pascere greges cogantur. Quid? Nonne Euangelicę  
veritati, qua saluamur, omnia sunt postponenda, etiam,  
pater, mater, fratres, sorores, filij & filię, imo & vita ipsa?  
Maximè omnium. Sic n. nobis Christus p̄cipit & man-  
dat. Matth. x.

*Matth. x.*

Obstat tertio fœdus cum Tigurinis & Geneuensibus  
iētum, ne sine illis, à quibus pendent veluti Dñs, verita-  
tem suscipiant & profiteantur, prius hæresibus retracta-  
tis atq; abiuratis,

*Act. 2.*

Sed hi, quos imitētur, habent. Habent n. p̄ter Chri-  
sti mandatum, Ierosolymitanorum exemplū, qui ad p̄-  
dicationem Apostolorum Ioannis & Petri, audita & co-  
gnita

gnita de vero Mescia Iesu Nazaræno fide, Christum Do-  
minum saluatorem suum amplexi & professi sunt. Hi n.  
non respexerunt ad Principes Sacerdotum, & scribas ac  
pharisæos, neq; vxores, filios, ac consanguineos, num  
Christum susciperent, consuluerunt, sed Apostolos con-  
suluerunt dicentes. Quid faciemus viri fratres? Quibus  
dixit Petrus. Delictorum ( nota tu, qui negas Sarnicia-  
nis opus esse pœnitentia, nota ) pœnitentiam agite, &  
baptisetur vnusquisq; vestrum in nomine Iesu Christi in  
remissionem peccatorum. Et accipietis donum spiritus  
sancti. Qui ergo libenter ( nota libenter. nam vbi est ver-  
ra, non hypocrita fides, ibi vera pœnitentia est ) accepe-  
runt sermonem eius baptisati sunt, & accesserunt in die  
illo anime circiter ter mille. Hæc Actorum cap. 2.

Si itaq; Sarnicius & Syluius cum suis veri Christi  
ministri fuerint, si spiritû Dei habuerint, profectò cogni-  
tis hæresibus suis, illico eas abiurabunt publicè, & seriam  
pœnitentiam agent, & Deo Trinitati gloriam, quam ab-  
stulerunt, restituent, & sibi facieq; sue confusionem da-  
bunt, & hac ratione à Deo benedictionem accipient.

Quarta causa, de qua dubito, est. Vereor, ne hi duo *Dubia ratio*  
præsertim, Sarnicius & Syluius, qui mecum in fide recta  
concordiã fecerunt ( veritatē n. rei cognouerunt ) & po-  
stea illa fracta veritatem agnitam impugnarunt, in spiritû *Peccantibus  
in spiritum Sa  
pœnitentia  
negatur.*  
sanctum peccauerint. His n. tam à Christo Dño, quàm ab  
eius Apostolo negatur pœnitentia. Matth. 12. Mar. 3.  
Luc. 12. Ebr. 6. Utinam Deus Misereatur illorum.

His omnibus visis, ad tertiam propositionem, quomo-  
do nempe inter nos concordia fieri possit, descendo.

De ver

DE VERA ET RECTA INTER  
SARNICIUM CVM SVIS ET ME STAN-  
CARVM INEVNDÆ CONCORDIÆ RATIONE.

**O**Mnino Spiritus S. in Scripturis nos ad cōcordiam, sed in Domino hortatur. Ait n. Apostolus ad Cor. Obsecro aut̄ vos fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idem loquamini omnes, & non sint inter vos dissidia, sed sitis integrū corpus, eadem mente, eadem sententia. Et ad Ephesios hortatur similiter, vt vnum corpus simus, & vnus spiritus, vt in vna spe vocati fuimus, vt nobis sit vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & pater omniū, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus nobis. Et ad Timothæum scribit. Sectare iustitiam, fidem, charitatem, P A C E M cum his, qui inuocant (nota diligenter) Dominū ex P V R O C O R D E. Et Psaltes, hoc præsupposito, ait: Ecce quàm bonū, & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Cum illis itaq; qui Dominum ex puro corde inuocant, & veram fidem habent, non autem cum hæreticis & impenitentibus concordia & pax est habenda. Nam filij Dei cum filijs Diaboli nunquam poterunt conuenire, vt in priore libro abundè ostendo.

Et cum ex præcedentibus clarissimè cōmonstratum est, Stanislaum Sarnicium cum suis asseclis veros hæreticos, Arrianos, Eutyrianos, Macarianos, atq; Trideitas esse, hasq; hæreses tam pro concionibus, quàm scriptis docuisse, atq; seminasse, & non Regnū Polonię tantum, sed & totum ferè Christianismum scandalisasse, fidemq; verā, quam

quam ego cum Catholica Ecclesia teneo, profiteor & de-  
fendo, damnasse, & publicè eam hæreticā, Iudaicā, Tur-  
cicā, Nestorianā, Sabellianā, virus & venenū, euer-  
sionem fundamenti fidei Apostolicę, contagium animarū,  
& demum hoc anno labyrinthum, appellasse, & me cum  
catholica fide acerrimè persecutos fuisse, necesse est, vt duo  
faciat Sarnicius cū suis. Primum, vt suas publicè retractet  
hæreses atq; abiuret, damnet & execretur. Deinde, vt fidem  
catholicā suscipiat & palām confiteatur, & profiteat.  
Et cū sit Minister & prædicator, oportet eum cum suis po-  
pulos, & eos, quos antea hæretica doctrina seduxerant, ab  
hæresibus pro viribus liberare, & veram fidē, qua saluan-  
tur, docere. Hac n. ratione & Deo, quod abstulit, nempe  
gloriā & honorem, reddet, & sibi quod meruit, accipiet,  
confusionē nempe faciei suę, vt æternū seruetur. Sic n. &  
Sancti Patres de suscipiēdis hæreticis à Catholicis scribūt.

D. Augustinus, tomo 7. libro de Vnitate Ecclesię, con-  
tra Epistolam Petiliani, Episcopi Donatistę, sic de susci-  
piendis hæreticis ad fidem catholicam redeuntibus scri-  
bit, cap. 18.

D. August.

Ecce ( inquit Donatistę ad D. Augustinū & cœte-  
ros ) vos tenetis Ecclesiā : Quō nos suscipitis, si ad vos  
transire voluerimus? Respondeo, ait Augustinus, breui-  
ter. Sic vos suscipimus, quomodo suscepit Ecclesia, quam  
in sanctis libris canonicis inuenimus. Deposita quippe a-  
nimositate contradicendi, qua tument omnes, qui verita-  
te Dei vinci nolunt, & sua peruersitate vincuntur. Et cap.  
19. Veniens itaq; hæreticus, vt catholicus fiat, errorē cor-  
rigat pprium, non Christi violet sacramentum. Accipiat

Nota

L

vincu-

vinculum pacis, quod nō habebat, sine quo illi pdesse non poterat baptisma, quod habebat. Vtrunq; n. necessariū est, ad regnum Dei adipiscendū, & baptisma & iustitia &c. Et infra. Quō ergo suscipit ista Ecclesia per omnes gentes incipientibus ab Ierusalē, remotis omnibus (nota Sarnici & tu Sylui) ambagibus & tergiuersationibus, sic suscipiendus es, &c. Hæc D. August.

*Nota.*

*D. Athanas.*

D. verò Athanasius de hac materia scribens ad Antiochenes, sic ait, pagina 84. Omnes igitur, qui vobiscum pacificè agere volunt, in primis autem illos, q in veteri Ecclesiæ cōmunionem fuerunt, deinde, qui ab Arrianis redierunt, elicite ad vos, eosq; vt patres assumite, & vt magistri & tutores recipite, coaptantes vos interim dilecto nostro Paulino eiusq; socijs, nihilq; amplius ab illis exigatis, quàm vt EXECRENTVR ARRIANORVM hæresim, confiteanturq; sanctorū patrum in Nicæa fidem.

*Nota.*

Execrenturq; item eos, qui dicunt spiritum sanctum esse creaturā, & diuisum ex substantia Christi. Id n. verè est (nota) resilire à scelerata factione Arrianorū, si non diuidas sanctam Trinitatem, nec dicas aliquid eius esse creatum.

*Nota.*

*Aduerte.*

Nam qui simulanter (aduerte) sese iactitent de Confessione Nicenæ fidei, atq; interim audent blasphemias dicere cōtra spiritum sanctum, nihil aliud præstant, quàm quod Arrianam hæresim verbis inficientur, animo sensuq; retineant. Anathemate quoq; inuratur Sabellij & Pauli Samosatensis impietas, Valentini item & Basilidis insania, & Manichæorum stoliditas, quod si fit (nota diligenter) omnis apud omnes suspicio desebitur, & SOLA Catholicæ Ecclesiæ FIDES PVRA apparebit, et quæ sequuntur.

*Nota.*

Nonne

Nonne & D. Augustinus per publicum scriptum Ma-  
nichæi doctrinam, in qua nouem totos annos fuerat im-  
mersus retractauit & abiurauit? Maximè omnium,

*D. Augusti reo  
tractauit hæc  
resim Mani-  
che.*

Nonne & Theodosius Imperator propter iniustam in  
Thessalonica patratam cædem admonitus publicâ pœni-  
tentiam egit? Ira res se habet. Sic n. Ruffinus lib. 2. sue  
historiæ, cap. 18. scribit. Ob hoc ( nempe facinus, de quo  
antea scribit ) cum à Sacerdotibus Italiæ Imperator re-  
dargueretur ( nota tu, qui pœnitentiam negas ) agnouit  
delictum, culpamq; cū lachrymis p̄fessus publicam pœ-  
nitentiam ( nota tu Sarnici & Sylui ) in conspectu totius  
Ecclesiæ exegit, & in hoc sibi tempus adscriptū absq; re-  
gali fastigio patienter impleuit. Hæc Ruffinus,

*Theodos. Imp-  
erator, pu-  
blicam agit  
pœnitentiam*

*Nota*

Sic & Israelitis, qui vero Deo relicto, atq; eius fœdere  
fracto, cultum vitulinum, in quo idololatriam cōmiserunt  
instituerunt, Deus, vt publicam pœnitentiam agerent, et  
eam etiam signis testarentur externis mandauit. Deponi-  
te, inquit, omnem ornatum & preciosas vestes ex vobis  
ipsis, & tunc ego sciam, quid tecum agere debeam. Po-  
pulus verò Deo præcipienti paruit, qui omni ornatu de-  
posito, peccatum suum coram Domino luxit.

*Exodi 33.*

Et Summus Pontifex, si fortè per errorem peccasset ( q̄  
verò per contemptū aut superbiam in Deum peccabant,  
occidebantur, Numer. 15. ) & populum ad peccandum  
induxisset, publicam pœnitentiam facere, eamq; publicò  
sacrificio testari tenebatur, Leuitici cap. 4.

*Leuit. 4.*

*Numer. 15.*

Sic & Apostolus Paulus, qui licet & ipse p̄ ignorantia  
in Christū & Deum peccauerat, dū Christi Ecclesiā perse-  
quutus fuerat, publicā tamen pœnitentiam egit, cum ait :

*1. Timoth. 1.*

Qui prius eram blasphemus, & persecutor & violentus.  
Sed & misericordiam consecutus sum, eò quòd per igno-  
rantiam fecerim per incredulitatem. *i. Timot. 1.* Sciebat n.  
legem Dei, qua publicam agere pœnitentiam teneretur.

*Luc. 13.*

Nonne & Christus Dñs peccatores omnes ad pœnitē-  
tiam hortat̄ dicens: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes pe-  
ribitis? Maximè. Hic plura de pœnitentia non agam,  
cum ex p̄fesso librũ de pœnitentia & eius partibus scripse-  
rim. Veram tamen verę pœnitentię agendę formã ex spi-  
ritu s. per seruum suum Dauidem prophetã & Regem hic  
indicabo, quam si Sarnicius & Iacobus Syluius cum suis  
(vt hortor) imitabunt̄, res eorũ saluę erunt. Nam, post  
quam Nathan propheta ex parte Dñi Dauidem adulte-  
rũ cũ Bathsœua & cædis viri eius Vrię Chetã admonuit,  
statim in terrã prostratus, depositis regalibus vestibus, et  
cilicio seu sacco indutus, ad Deũ vera pœnitentia confu-  
git, dicens: Miserere mei Deus secundum misericordiam  
tuam, et secundum multitudinẽ miserationũ tuarum de-  
le transgressiones meas, multum laua me ab iniquitate  
mea, & à peccato meo munda me, & quę sequuntur.

*2. Reg. xi. xij.*

*Psal. 51.*

Et cum Sarnicius præsertim plus quàm superscripti, q̄  
seriam egerunt pœnitentiã, peccauerit, si delicti grauitas  
fuerit perpenſa, cur non & ipse, si memor salutis suę fue-  
rit, publicã tam publico scripto, quàm p̄ concionibus pu-  
blicè pœnitentiã cum suis facere debet? Profectò nisi hoc  
fecerit, nobis manifestissimũ signum dabit, se in spiritũ s.  
peccasse & peccare. Nam in spiritum S. peccantibus pœ-  
nitentia negatur, vt supra ex scripturis S. visum est.

En pie, prudens, & Christiane lector veram & rectã  
inter



inter nos ineundę concordię rationē, viam & modum in-  
dicaui, nempe, vt Stanislavus Sarnicius cū suis asseclis su-  
arum hæresum publicę pœnitentiã publicam faciat, &  
Deo Trinitati honorē & gloriam, quibus eum antea spo-  
liauerat, reddat & restituat, veniamq; transgressionū su-  
arum à Deo in primis, deinde ab eius Ecclesia sancta de-  
precetur, & quicquid proximis suis rapuerit, id iuxta legem  
Dei, & sacrorum Imperatorum ac Regum statuta restituat.  
Quæ omnia cum fecerit ille cum suis, iam ab omni lepra,  
ab omnibus pollutionibus atq; immundicijs suis purificatus  
& sanctificatus erit, & ita cum mihi tū omnibus sanctis,  
qui in recta (Deo semper gratia & gloria) mansimus fide,  
licebit illis adhærere, imò illis, (vt secundum verbum  
Dei loquar) licebit nobis adhærere & nobiscum commu-  
nicare, & simul nobiscum in sanctum sanctorum intrare,  
& vitulos labiorum nostrorum, hoc est, thodah, id est,  
laudes & gratiarum actiones Deo Sanctissime Trinitati  
per sacerdotem magnum Christum Dominum secundum  
humanam naturam verbo in vnitatē personę vnitum,  
simul offerre. Hoc est, fiet inter nos vera & recta  
concordia, & hac ratione iuxta conscientiam & simul  
communicare & Deum laudare, atq; eius Ecclesiam  
ædificare poterimus. Quod vt fiat, Deum Trinitatem oro,  
illiq; humiliter supplico per Christum Dominum nostrū  
Amen. Geneuensibus quoq; & Tigurinis, alijsq; omnibus,  
qui seriam egerint suarum hæresum pœnitentiã, meam  
in Domino communionem offero. Quod si tam hi, quàm  
illi in suis immundicijs, lepra, & pollutionibus, hoc est,  
hæresibus & erroribus manserint, coram Deo atq; eius Ec-  
clesia

*vide etiam*  
Martinū Luc  
terum in Epi  
solam ad Ga  
latas cap. 6.  
carta 73. &  
74. in forma  
oclauf.  
Leuit. 7.  
2. quæst. 3. 8.  
Cod. lib 9. Ti  
tulo 46. lege  
x.  
Leuit. à 14.  
cap usq; ad  
12.

Ebr. 13:

*Stancarus hæ  
reticis pœni  
tentibus com  
munionem su  
am offert, imo  
pœnitentibus  
denegat.*

*Nota.*

clesia sancta protestor; me animam meam perdere nolle,  
quod proculdubio fieret, si me illis immundis, impœnitentibus,  
& blasphemis adiungerem. Essem n. eorum omnium peccatorum,  
& blasphemiarum particeps, vt lex Dei apertè testatur,  
& monet. Omnia n. Iudæis in figura cõtinebant,  
scripta verò sunt propter admonitionem nostri, &c. I. Cor. X.

Leuit. à 14.  
vsq; ad 19.

1. Cor. x.

Nota diligenter.

Ex his omnibus manifestum euadit, quàm pueriliter et imprudenter, ne dicam impiè & sceleratè, fecerint illi, qui velamine & tegumento quodam tam horrendum, publicumq; facinus per totum ferè Christianum orbem sparsum, in vituperium glorię, honoris & Maiestatis diuinę, & in eius Ecclesię ruinam & scandalum, ac demum in damnationem hæreticorum horum, qui hac ratione impœnitentes redderentur, cælare voluerunt. Hac n. ratione hæreticis gloria, Deo autem confusio data fuisset, cum se-  
cus aliter sit faciendũ. Debemus n. facere ac dicere: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Et cum Daniele dicere: Tibi Domine gloria, nobis autem confusio faciei nostrę.

Psalmo 115.

Danielis 9.

Deut. 12.

Dicerent, nos bono animo fecimus. Quibus respondet Deus, nolite facere, quod rectum vobis esse videtur in oculis vestris, sed quod præcepi vobis illud facite. Et Dauid propheta & rex bono animo templum Domino voluit ædificare, sed à Deo per Nathan prophetam prohibitus fuit. Nonne & Satan induxit Dauidem sanctum virũ ad peccandum, dum populum Israel contra mandatum Dei numerauerit? Ita res se habet. Sæpè n. Diabolus transfiguratur se in angelũ lucis. Debuissent hi Mediatores  
confu-

2. Reg. 7.

2. Reg. ult.

2. Cor. xi.

consulere verbum Dei, & in quem finem hanc concordiam procurarent considerare. Nam, si eorum commento facta fuisset inter nos concordia, cum ignominia gloriæ Dei, & scandalo Ecclesiæ, & demum in damnatione omnium nostrum, sicut ex præcedentibus omnibus rectè consideratis, manifestè patet, facta fuisset. In omnibus n. semper ante oculos nostros gloriam Dei, deinde salutem proximorum nostrorum habere debemus, idq; totum iuxta regulam & canonem verbi Dei. Nam & Iudæi æmulantur Deum, vt ait Apostolus, sed non secundum scientiam, Rom. x. Sed ad aliud venio.

Et quoniam Dominus Iesus, vt ait Lucas Euangelista, *Actorum 1.* prius cœpit facere, deinde docere, ego quoq; eo modo quo possum & debeo eum imitari certo modo volo.

Cum itaq; ego Franciscus Stancarus in persecutione, quam à meis aduersarijs passus sum, & in defendenda catholica fide, quam illi corruperunt & blasphemauerunt, non ita patiens fuerim, ac non ita modestè, vt verbum Dei requirit, me gesserim, flexis genibus coram Deo atq; eius Ecclesia sancta ex animo veniam & misericordiam peto, & oro, ( hoc sapissimè feci ) vt mihi impatientiam hanc, murmurationes, execrationes, atq; maledictiones in persecutores meos mihi condonet per Christum Dominum nostrum, Amen. Fateor itaq; me maiori cum modestia, & minori cum vehementia catholicam fidem defendere, & contra meos aduersarios scribere potuisse, ideo ab illis ex animo veniam peto. Sed quis est tam sanctus in hoc mundo, qui in multis non labatur & erret ?

Non

Non n. per hoc peccatum meum extenuare volo, absit,  
 nam coram Deo, qui omnium corda videt, candidè est  
 agendum, sed hoc dico dum in hoc mundo sumus, & hanc  
 peccatricem carnem nobiscū circumferimus, semper pec-  
 catis obnoxij sumus, vt non quæcunq; volumus faciamus.  
 Det omnibus nobis Dñs Iesus omnium nostrorū veram  
 pœnitentiam peccatorū, & concedat, vt in vnam puram  
 ac sanctam fidem, spem & charitatem conueniamus,  
 in laudē & gloriā Dei, & eius Ecclesię utilita-  
 tē, ac animarum nostrarum salutem.

Amen. Amen.



7. Decembris, 1567.

ita falsos  
 mediatores  
 in  
 Stancaum  
 & Armian.

Questionem de Mediatore xpo Domino  
 inter Stancaum et Armiananos scilicet non de  
 persona, aut Trinitate, sed secundum quam  
 naturā, erat Mediator, Christus, Inscriptio  
 duarū Epistolarū Tigurinarū ad Polonos  
 missarū clare testatur: ~~Ita~~ sic Epistola  
 duæ ad Ecclesias Polonicas, Iesu Christi  
 Euāgelium amplexas, scriptæ à Tigurina  
 Ecclesiæ ministris, de negotio Stancaum  
 et Mediatore dei et hominū, Iesu Christo.  
 An hic secundarū humanā naturā duntaxat,  
 an secundū utraq; Mediator sit.

Item in Epistola ad lectorem scribunt:  
 petunt à nobis, vt nos paulo copiosius, quid  
 de Mediatore Iesu Christo dño nro sentiamus,  
 an secundum humanā duntaxat, an secundū  
 utraq; naturā Mediator sit, exponamus. Hæc  
 Tigurini / 1. Christophorū Presbiterū duntaxat

U O T A

9579

U O T A.

